Iz: Sheila Low-Beer, Hermann of Carinthia: The Liber imbrium, the Fatidica and the De indagatione cordis, Doktorska disertacija, New York, 1979.

## LIBER IMBRIUM

### ⟨I. Introduction⟩

Cum multa et varia de imbrium cognitione precepta Indo- H106rs rum tradat auctoritas, ea summatim transcurrere diversorumque diversam sentenciam sub quodam compendio redigere curavi, ut quicquid verborum numerositas occultabat, / aut philosophorum 106rd dissona multitudo variabat, plerumque etiam scribencium incontinua digressio dilatabat, simplicis pagine brevitas absque omni scrupulo representet. Quociens igitur, imbrium lapsu sollicitus inquisitor accesserit, ex subscriptis certissimum manat iudicium.

### ⟨II. Universal rules⟩

Sol enim in hemisperio australi et Venus sub radiis, eidem Luna applicante, ipsa die et eadem hora imbres portendunt futuros. Non minus quoque Mercurio adusto, si Luna eidem applicet aut eidem opposita, et in Scorpione commoretur, hoc idem etiam Martis et Veneris sub Scorpione conventus indicabit. Sole etiam in Aquario, Luna illi applicante aut in eius oppositione locata, et Venus ibidem commoretur, in ipsa hora pluvie aderunt. Itidem quoque Iovis aut Veneris ad Solem applicatio, et Luna in eorum oppositione aut tetragono discurrens, dum Venus adusta fuerit, certum de pluviis facit indicium. Quod si conveniant, et Mercurius cum eis pariter discurrat, imbres continuos et ventos eadem die reportat. Lunaris etiam in eos videlicet aspectus, nec imbres aberunt. Sol autem in Libra, Venus in Sagittario, Luna eos commitante, ipsa die pluvias inducunt. Sole in Aquario, Luna in Leone,

Solis inquam domo vel saltem ipsius regno, ea die nimius imbrium aderit discursus. Si in Leone potissimum id ipsum; quidem in Sagittario propter ipsius flumina etiam Leonis nubes harum et non nulle in athorare et in exordio Tauri pariter consistit. Mars vero Solem respiciens, et Lunam dum Venus, et Mercurius hunc aut illam committuntur, imbres presentes et grossas insinuant guttas. Similiter quoque in domo Veneris aut Martis, Ariete scilicet et Scorpione, stille grandes, / tonitrua, et choruscaciones 106vs generantur. Sol rursum in Piscibus vel Ariete discurrens, Luna in Virgine aut Libra vel Sagittario commorante, vaporosis videlicet locis ipsa die imbrium contulit affluenciam.

### ⟨III⟩ De pluviis habundantibus

Amplius Veneris aut Mercurii in eisdem locis cum Sole in domo Veneris discurrens et etiam Luna, imbrium stillas gravissimas, lampades, et tonitrua portendit. In Leone vero Piscibus etiam Ariete, Libra et Scorpione, Luna in Solis oppositione, aut cum Venere discurrens, stillas, non sine lampadibus, tonitrua, et fulgura mittit. Itidem quoque Luna in Leone lampades, tonitrua, et fulgura generat, pari quoque modo in regionibus equinoctiali linee subiectis, in secundo climate dico, tercio et quarto horum, inerit mediocritas; in quinto et sexto, remissius. Mars quidem retrogradus, si eum respexerit, fulgura cadent urencia. Luna quidem in Martis hospicio Scorpione, scilicet Mars aut in sue domus opposito discurrens, Sol etiam in Aquario vel Piscibus situs, die ipsa pluviarum notant redundanciam. Sole quidem in Piscibus, a Luna et Marte respecto, fulgura erunt, atque tonitrua,

atque pluviarum vicissim affluencia et fulgurum lapsus. Id ipsum etiam, Sol in Ariete aut Scorpio, Luna in Leone aut Sagittario aut in Solis conventu, prefigurat. Sol autem in Capricorno, Luna in Tauro aut Virgine, Piscibus aut Scorpione, ventos generat frigidissimos. Non minus eodem in Capricorno, et potissimum in Aquario existente, dum Saturnus in eorum oppositione discurrat et alterum /106vd Luna respexerit.

Amplius sub anni conversione, Mars, de Scorpio Venerem respiciens, imbribus emanat. Venus enim in Scorpio existens, et a Marte respecta, propter maria que Scorpius habet, pluviarum facit indicium. Si vero Martis careat aspectu, ex relictu ducatu non multa imbrium ubertas. Venus, item, Luna et Mercurius, sub anni conversione, in locis pluviarum si discurrant, ea conversio pluviarum afferet redundanciam.

Sunt autem pluviarum loca: utraque domus saturnia earumque oppositio, Leo videlicet et Cancer; de quorum numero Pisces itidem erit, propter rivos quos habent et flumina, sicut etiam Sagittarius, propter maria que in eius extremo consistunt, et Scorpius propter sua. Luna itaque Veneri in hisdem locis applicans, imbres portendit futuros.

## ⟨IV⟩ De pluviis humilibus

Sunt item paucorum imbrium signa: Taurus et Gemini. Verum Tauri principium et finis Arietis, propter nubes quas habent, pluvias indicant. Non minus quoque Virgo et Libra, scilicet modicas habent pluvias. Capricornus autem plus habet frigoris, quam pluvie. Nec in ipso fiant imbres, nisi Luna de ipso stellam in loca

aquarum respiciant. Venus et Mercurius sub Lune Martisque respectu, Mars ipse Lune lumen ab eis resecat et prohibet, nisi inquam conventus sit vel oppositio: sic enim et pluvias affert.

## ⟨V⟩ De pluviis sub anni initium

Amplius sub anni conversione, pars pluviarum notanda; ea namque de die a Luna ad Venerem, nocte converso assumpta et a Sole sumpto exordio, sub numeri terminatione profecto occurret. In loco igitur aquarum reperta, annum indicat pluviosum. Luna quoque dum ad Martem perveniet, imbres die ipsa profecto aderunt, et de Venere non aliud erit iudicium. Singulis rursum mensibus, oriente constituto, Solis et Lune coniunctio, et stellarum notetur conventus et applicatio. Ea enim pluvias generant hyemales. Hoc etiam summo opere notandum occurit quod Venus / sub manibus 107rs
Solis, imbres portendunt et rores. Veneris item cum Marte, Mercurii cum Jove, Lune cum Saturno applicatio notanda. Maius autem Solis iudicium ad rores pertinet. Verum quia Venus quasi porta Martis, Mercurius Iovis, Luna Saturni, quociens conveniunt vel alterno fruuntur aspectu, rores fervore coguntur. Venere quidem retrograda, Sol in Ariete vel Tauro, ver indicat valde pluviosum. Ipsa item retrograda existens, dum Sol in Capricorno aut Aquario commoretur, hyems illa paucorum imbrium.

Hec autem omnia sub anni ingressu notanda occurrunt. Nam dum ipsa ut iam dictum est, retrograda erit, et Sol Capricornum perambulet sive Aquarium vel Pisces orientalis, in vere facta imbres inducit modicos. Sed hiemis principium multiplicibus humectat pluviis. Nam si in hieme orientalis existat, eius inicia

raris, ultima vero pluribus, redundabunt. Ubi stella qualibet Soli discurrat affinior et de pluviarum adventu suprascriptum omnino immutare iudicium. Veneris rursum in orientem vel cardinum quolibet discursus, certum et forte pluviarum facit iudicium. Dux etiam, sub conventu vel oppositione Solem respiciens, imbre estuat multiplici. Venus tunc sub radiis sub quolibet respectu partis cardinum, imbres multiplicat gravissimos. Nam quociens Luna eidem applicat, pluvias efficit; et de Sole, in hinc modum firmissimum, quidem in aliquo partis ipsius cardinum sive eius oriente. Dominus quoque orientis, in signo aquatico, sub ducis conventu vel eidem applicans, id ipsum. Nam sub eiusdem ad Libram ingressu, Venus ante Solem minus triginta gradibus discurrens et directa, hiemis principia multis humectat pluviis. Si vero / nec ad invicem desti- 107rd
terit, circa finem id ipsum permittit. Si vero maior quam triginta graduum assit distancia, hyemis principium frigore, sed paucis redundat imbribus, donec interiectum spacium ad minorem redeat quantitatem. Quociens autem sub directo gressu, minor uno signo accedendi erit distancia, annus ille multiplices habebit pluvias. Maiorem quoque imbrium habundanciam, Solis et Veneris in eodem signo generat progressus. Stella rursum in qualibet domo eius nature discurrens, et recepta dum recipiens bonum obtineat locum, debitus omnino sequetur effectus. Optimum quidem et maior de efficacia certitudo, si in ipsius natura constiterit. Ad hoc etiam Luna cum Jove, Venere, aut Mercurio ex una parte applicans, imbres generat estuantes; in austro quidem imbribus magis oportunum, Venere potissimum et Iove receptis, et cum Luna gradum

solarem in conventu evaserit. Saturnus, tunc, in signo humido pluviis minime contradicit, et hoc modo in Lune applicatione exequendum erit. Si vero in eadem parte coniungantur, dum inferior sub superiore moretur, cuiusmodi sunt Mercurius et Iupiter, Venus et Mars, Luna etiam et Saturnus. Quociens ergo, ambe cuilibet inferiori applicent, postquam a superiore sese emerserit, rores estuare necesse est. Notandum etiam utrum Sol ipse vicesimum Scorpii perambulet gradum, singulis quoque annis oriens firmare, stellas rectificare et Lune locum diligencius attendere oportebit, utrum etiam Luna Veneri applicet atque Mercurio. Veneris igitur et Mercurii orientalitas, pluvias sub anni-principio, occidentalitas sub fine, largitur. Luna, tunc, lumine addens et compoto, imbrium redundanciam portendit; utrumque vero decrescens, remissius. / 107vs

## ⟨VI. Portae⟩

Antiquorum porro astrologorum peritissimi loca, que portarum nominant, attendere curaverunt, quarum hec est descriptio. Quociens videlicet Luna, a Venere recedens Marti applicet, aut a Marte recedit dum Veneri applicet, sic enim pluviarum significationem profecto reducit. A Mercurio namque recedens, et Iovi applicans, aut econtrario, aut si a Saturno recedat, Soli applicans, aut econtrario, non aliud prestat indicium. Hec autem, sunt singularum stellarum quasi quedam manatoria, que portarum aperitiones satis congrue numcupantur. Harum itaque stellarum oppositio, declinante tercio et quarto et ad partem australem et altiorem terram, deprehensa, proprius emanat pluviis. Si inquam inter

undevicesimum Scorpionis ad undevicesimum Tauri gradum commorentur. Item imbrium, ex parte australi, tunc demum certa occurrit significacio, quociens a undevicesimo Tauri ad undevicesimum Scorpii gradiantur.

Ad hoc etiam sub primo Solis ad quattuor tropica--Arietem dico et Libram, Cancrum, et Capricornum--ingressu, ut anni, sic et temporum conversio notanda. Ex hiis namque quartis, qui apud universas regiones, in oriente videlicet et occidente, septemtrione et austro renovetur, poterit deprehendi. Oriente igitur ad hec predicta inicia firmato, quo Luna discurrat, utrum ve signa calida et humida, aut calida et sicca, frigida et humida, aut frigida et sicca perambulet, diligencius attendere. Si etiam cui Luna applicet non cohortatur, maius quidem pluviarum erit indicium; si domino circuli, qui post lunarem collocatur, applicet, potissimum. Luna rursum, australis descendens, stelle australi et descendenti applicans, imbres apportat multimodas. Ea etiam Marti applicante, aut si ab eodem recedens Veneri applicet, pluvias efficit aut rores. Eiusdem quoque a Iove recessus, et cum Mercurio facta applicacio, vel dum Saturnum relinquat, / Soli applicans, non aliud dabit 107vd
iudicium. Pocior quidem, ea qua diximus de oppositione, et in signis que aquas significant, facta applicatio cuiusmodi sunt Aquarius, Leo, et Scorpius in gradibus 8 eorundem.

Itidem etiam in Geminis et Sagittario conventu itaque aut respectu forte deprehenso, et Luna, in domo propria, Saturno applicans, aut in Piscibus, Veneri, aut in Aquario cum Venere et Mercurio, imbres utillimos et multiplices citius inducit.

Notandum etiam quando Sol ad primum Scorpii gradum

perveniat, si vero Mercurium et Venerem orientales esse contigerit, pluvias in anni principio futuras nulla sit hesitatio. Pocius quidem, si Luna, crescens lumine, in austrum descendat, Venerem et Mercurium respiciens, autem saltem, dum ab altero separetur, alteri applicet, et undique recepta, sic enim sub anni principio pluvias indubitanter adducit. Utriusque rursum occidentalitas, et Lune, cum utroque vel saltem alterutri applicatio, etiam ipsa occidentalis dum videlicet sub mensis principio ad septimam vel octavam diem ascendit, et post Solem vadat ad occasum, et ipsa etiam descendens, cursu velox et lumine crescens, imbres in fine anni portendit futuros. Si vero Lunam et huiusmodi stellas a dominis domorum suarum vel regnorum recipi contingat, ex multiplici imbrium nec inutili redundancia, fructus et victualium salvatur ubertas.

## ‹VII› De virtutibus portarum

Est autem istarum portarum virtus optimaque significatio, ut qua die vel hora nubibus aut pluviis aer incipit variari per singulas regiones, urbes, etiam aut vicos. Sub primo imbrium vel guttarum stillicidio, oriens et locus Lune, sed etiam cui Luna applicet--superioribus videlicet aut inferioribus--summa diligencia perquiratur; nec minus quoque, an ea Lune applicatio, de exagono fiat, sive tetragono aut etiam oppositione, vel conventu, an etiam fit recepta. Ad hoc rursum, cui Luna applicet, quoto gradu constiterit; cita etiam sit, vel tarda, aut / media in austrum 108rs descendens, aut in septemtrione conscendat, quibus omnibus certo ordine deprehensis, lunaris cum stella, qua die primo pluere

incipit, applicatio, certum de imbribus per singulas ferias dabit iudicium; quousque videlicet ea stella ad aliud signum transierit. Ea tamen aliud signum ingressa, de pluviarum iudicio tali vel tali die nullatenus presumendum erit, donec quando Luna eidem rursum applicet profecto decernas. Si vero ea applicatio imbres premonstret aliquos, iuxta ipsum modum et numerum, de multitudine atque paucitate, referendum erit. Sed etiam, iuxta illius signi naturam, humidum videlicet fuerit, aut siccum, vel medium. Itidem quoque signum stelle cum qua lunaris fit applicatio. Nam et ea die qua imbres expectas, Lune cursus celer vel tarditas, eiusque in austrum descensus aut in septemtrionem sublimatum notanda videntur et de stella cui hec applicat in hunc modum. Nam ex stelle huiusmodi statu, non in minima imbrium manat augmentatio. Lune rursum atque stelle latitudo periter notanda. Utraque enim australis et visioni existens affinior et latitudo similiter, ea die pluviarum largitur ingruenciam. Latitudine quidem diversa si nec assit receptio, nubes portendit steriles aut parum fecundas.

⟨VIII⟩ Omnibus locis pluvia cadere videatur

Ad hunc modum, in qualibet regione, urbe, villa, aut termino, si de Lune applicatione ac receptione aut contra de eiusdem nec ne in predictis locis situ, de natura etiam signorum et stelle cui applicat, ea que diximus reperiri contigerit. Nec aliud detur iudicium ubi inquam stelle alteri velociorum applicat aut in eiusdem sit conventu. Quia ergo et hoc ducatum promeruit, iuxta eius potencie vires et debilitatem, de iudicio erit referendum. Gradus etiam conventus vel oppositionis per singulos menses, cui etiam

Luna applicet, donec ad solis redeat conventum, aut saltem ab oppositione separetur, nullatenus oblivionis tollat incommodum. Nam / si Mercurio aut Veneri applicet, sub eo conventu vel oppo- 108rd sitione, pluvias effundit. Si vero de signo alio, de exagono videlicet aut tetragono, trigono etiam aut oppositione, Lunam videris applicantem, stella cui conventu vel oppositione relictis ea applicat, iuxta citum cursum sive tarditatem, descensum aut ascensum, nec minus quoque secundum loci illius naturam, et secundum Lune et illius stelle latitudinem, ut iam supradictum est, indicii semita teneat. Si enim in eadem parte a cardinum quolibet discurrat, et stella cum qua lunaris fit applicatio, sub terra moretur, de ante dictis facit iudicium; si vero ea stella oriens non respiciat quando quelibet figura illud respexerit, imbrium sequetur renovatio. Ad hunc quoque modum Lune in oriens aut stellam ipsam negato aspectu, dum tamen ea pluvias designet absque nubium obscuratione subitus, imbrium aderit discursus.

## <IX. De mansione Lune>

De mansione quidem Lune, Indorum animadverte sentenciam: humida videlicet sit aut sicca. Ut enim Indorum fides est, Luna in humida mansione stelle in humida existenti applicans, pluvias ostendit, potissimum quidem si in eodem nodo constiterit et humido, quod si in diversis et humantibus discurrant; et si non, generales pluvie tamen erunt. Ea item sic locata, stelle in mediocri locate et in nodo uno, applicans, paucis attribuit imbribus, quorum inicia sine ipso fortiora erunt. Luna enim in mediocri existente, dum tamen eiusdem stelle in humida et nodo uno existenti fiat applicatio;

et si in exordio minus, in fine tamen multiplex aderit redundancia; porro si eundem minime obtineant non, dum imbrium mediocritas, plerumque etiam imbres occurrant set steriles.

## Corrections and Selected Variants[14]

page 114

line 3-4 Indorum ABDEFGHI / Caldeorum C

4 tradat A / tractas H

4 transcurrere BCGHI / transferre ADEF

8 brevitas BCDGHI / veritas AF, verbis E

10 subscriptis I / scriptis A, supscriptis H

23 nec ABCDEFGI / blank H

25 Sole ABCDFGI / Sol EH

115

4 in athorare ADEF / in athoraie B, in atheza re C, in azhoreie G, mathorere H, in athoreie I. (This is for the Arabic at-thoraie, the pleides, or stars indicating rains.)

7 Ariete ACDEI / Arietis BFGH

8 tonitrua / etiam add GH

17 stillas ABEFGI / stillans C, stellas H

17 tonitrua ABCDEFG / tonitruo H, tonitruis I

18 fulgura AEF / fulgure BCDHI

18 Itidem ABCD / Idem E, Ibidem F, Id idem GI, Idemtidem H

18-19 tonitrua, et ACDEFI / et tonitrua BG, omit H

25 die ACDEFGI / dies B, de H

[14]For the list of manuscripts and sigla, see above, p. 106.

116

1 affluencia ABDEFGI / habundancia C, in habundancia H

2 first two aut's / et AH

4-5 generat frigidissimos ABCEFGI / frigidissimos generat H, generat vel imbres D

12 et ACDEF / omit BI, atque GH

117

18 fervore ABCEF / ferverius (ferventius?) H, fervere DI, fluere G

24 Aquarium ABCEFGI / aquam D, aquarum H

118

17 directo ABDEFGI / omit C, directu H

20 generat progressus / general et progressus D, prorsus generat H

23 natura ABCDEFGI / nadayr H

119

4 superiore ABCDEFI / superiori G, superiorem H

11 orientalitas ABCDFGI / occidentalis E, orientalis itas H

11 occidentalitas ABCFGI / occidentalitatis D, occidentalis siccitas E, occidentalis reus H

23 manatoria H / viatoria A, armatoria D

25 declinante GI / declinate H

120

6 ingressu ABCDEFGI / ingressum H

13 non BEF / ib H

14 qui ABCDEFG / omit HI

17 efficit ABCDEFGI / effluunt H

27 quando AFI / quem H

121

12 domorum ABCDEFGI / domarum H

26 ordine ABCDEFGI / ordino H

26 deprehensis ACDEFG / comprehensis B, deprehensus H

122

17 fecundas ABCEFG / fixas D, fecunda H

123

15 nubium CG / imbrium BDH

**FATIDICA**

Incipit atahuvil alalem, id est pronostica ZAHEL IBENBIXIR, C107 Hermanni Secundi translacio, sextus astronomie.

Secundus post conditorem orbis moderator, Sol; ut superne ducatum potencie, ita omnium inferioris mundi accidencium principale gerit consilium.

Omnes et enim terrarum alternationes primum Solis motu, deinde ceterarum comitatu metimur.

Unde nec aliter diverse terrarum partes, varias stellarum vires paciuntur, que in diversis temporum successionibus varii rerum eventus administrantur.

In speculandis igitur omnibus mundi per orbem accidentibus, primum anni dominus, omnis huius artificii dux, eligendus est. Cuius auspicia Solis munere sumuntur.

Diligenter et enim, in primum Arietis punctum Solis introitu servato, in eadem hora oriens constituendum. Et cardines circuli firmandi, stellarumque loca per omnem circulum notanda. Similiter etiam, modus itineris et respectus earum perspiciendus. Inter hec ergo, dominus anni is eligetur qui omnium orientis dignitatum plurimum sibi vendicat. Idemque firmissimus si ipse pariter in oriente fuerit; deinde, si in summo; post hoc in septimo. Ac deinde in quarto. Minus hiis si in undecimo. Deinde, si in nono. Post hoc, in quinto. Ad ultimum, in tercio. Si Luna fuerit et ipsa fortis sicut in undecimo.

Inter hec et enim cui plurimum testatur oriens, quique pro loco suo firmissimus proque domini sui respectu beatissimus et proxime missarit is erit anni dominus et gentis dux certissimus. Nam si dominus orientis simul sit et dominus solaris hospicii sive lunaris, is erit dux gentis.

Nec minus, si idem orientis dominus confert consilium luminibus, aut firmum aliquod cum eis testimonium habeat, magisque die cum Sole, nocte cum Luna.

Quod si ipse Sol in oriente sit, sive Luna, et extra casum ac exicium vel depressionem suam, ipsemet optinebit ducatum. Nam si vel dominus principatus orientis sit vel in ipso principatus gradu oriente vel ante ipsum quinque gradibus quantus est stelle terminus ipse optinebit. Dominus enim trigoni, si ipse fuerit in oriente, optinebit terciam partem testimonii. Dominus autem termini: quintam tantumdemque in summo. Siquidem in septimo atque in quarto, minus. Cum autem in undecimo aut nono sive quinto, omnino minus. Semper etiam in hac speculatione, primo testimonium, deinde fortitudo stellarum notatur.

Postquam igitur anni dominus hac ratione deprehensus fuerit intuendus erit quis applicet cum eo aut conferat ei, vel ipse cui, magisque domino suo. Cum quo si applicat, eique confert dominium anni ad illum transfert; firmiorque hic modus erit si luminum aliquo respicitur aut eorum domino.

Quod si dominus predicto modo repertus nec applicat nec

donat consilium domiho suo, ipseque firmus in suo con/ silio, ipse solus optinebit. 107vs

Demum videndum erit, si oriens est firmum signum, atahuvil--id est revolutio--prime anni quarte super eminebit ceteris, magisque si pariter dominus anni sit in signo firmo. Quod si oriens signum sit bicorporum, erit atahuvil tercie vel duarum quarte ceteris firmius, magisque domino anni in simili existente. Cum autem mobile fuerit signum oriens, erunt omnes anni quarte pares seu variabiles, magisque domino in simili suo. Quod si quartis anni signa eiusdem nature oriantur, omnes erunt firmiores.

Post hoc, intuendum que stelle applicant cum domino anni et ipsi conferunt, quoniam pro stellarum dono respectuque acque modo eiusdem terrarum partes dominii variantur. Nam si amicus fuerit respectus, prosperum illud et salubre. Si vero inimicus, contraria. Quoniam si in sexta domo fuerit sive orientis dominus sive quilibet applicans, infirmitatibus illos afficiet. In ottava vero, mortis metu terrebit. In duodecima quoque ad signi naturam morbos plagasque minatur. Nec minus Luna corrupta, dominique principatus orientis acque trigoni simulque termini infelices, signa sunt adversitatis et angustiarum suis terrarum partibus. Nam si infortunium fuerit pro Marte, acutos morbos, festinam cladem, mortemque repentinam minatur. Quod si pro Saturno sit, quartana frigore ventrisque dolore.

Deinde loca luminum intuenda: si ab oriente et atahuvil die fiat, Solque mundus dominus ve eius oriens respiciat, eius signi gentibus valitudinis et fortitudinis est nuncium. Si vero nocte fiat atahuvil, Luna similiter posita, simile mandat iudicium. Et si dominus Solis et Lune de loco firmo eos respicit acque recipit, pacis et iusticie signum est. Quod si contra fuerit, contrarii sequitur iudicium.

Inter hec igitur, omnia diligentissime loca et respectus stellarum notandi; quoque modo benivole sive malivole anni dominum respiciant.

De dominio Solis

Cum enim Sol ipse anni dominium optinet, mundus infortunio, magnatum primatumque virorum firmam valitudinem, et constanciam victualium quoque necnon et ovium acque mellis, volatilium etiam et piscium habundanciam, ac presertim orientalium gaudia acque Scithici climatis potenciam significat, omniumque eorum questuosas mercaturas. Ad hec autem que de sole sunt, si Leo firmus et mundus accesserit, Parthos et Sirie partes firmat. Verumptamen clade subitanea sed modica nocebit. Libie quoque partes Egypto conterminas roborat. Si vero Sol anni dominus infortunatus fuerit, Intuendum est unde adveniat infortunium. Nam de quo signo, utpote domo fratrum vel domo inimicorum et ad hunc modum, respexerit infortunium, ex / ea parte 107vd

adversitates in terra decident. Eritque omnium que dicta sunt laboriosa difficultas. Igitur: si infortunium a Marte venerit, tribulationes et controversias magnatum ingerit. Jovis tamen si respectus interveniat, pro vi sua Marcie resistet ire. Si autem a Saturno venit infortunium, multos infert morbos. Simulque si pariter omen utrumque id est Iupiter et Venus aversi fuerint, mortis ministrant cladem, magisque in Libie partibus. Et ut breviter plura comprehendantur pro loco suo respectuque aliorum, Sol anni dominus principum magis, et magnatum res variat et administrat.

## De Veneris dominio

Quando Venus anni principatum ducit et corrupta, parve fertilitatis est; multa diruit edificia eruntque in climate eius leves quedam litium controversie. Inter maiores autem aliorum climatum miscebit litigia. Multosque per omnem terram et pelagus ventos aget. Cum autem Venus anni domina salva ab infortunio, multa gencium gaudia, nupcias, convivia significat. Nam cum infelix per Martem fuerit, intuenda circuli domus unde Mars respicit, et pro natura domus ac stelle respectu iudicandum erit eius signi gentibus. Nam in Arabum terris, gravem significat famem, hominumque tribulationem. Jovis tamen si Venerem respectus invenerit, pro modo suo Martie obviabit crudelitati. Si vero a Saturno fuerit infortunium, primicias anni angustas et

graves diarome climati nunciat; finem vero leviorem. Nonnulle quoque Sirie partes famem pacientur et angustias, Adriaticis vero salubre.

Omnimodis autem, quociens Venus anni domina beata, prosperum est Arabum finibus et econverso.

## De Mercurio dominio

Cum autem Mercurius anni primatum contrahit, mundus ab infortunio, respectus benivolis, puerorum generi, sapientum studiis, mercature negotiis commodum et salubre, magisque si dominus eius hospicii ipsum recipit et crescet eis honor regum ex parte. Quod contrario continget si ipsum dominus eius rennuit. Ac si infortunio respectus fuerit, eis qui eius fuerint domus unde infortunium venit perniciosum. Nam si Saturno vel respectus vel coniunctus sit, sive consilium eius recipit, frugum dampna, latronum factiones, hominum tribulationes nunciat. In Arabum quoque partibus iumentorum et pecorum pestem, si videlicet infortunium in signo quadrupedum fuerit.

Nam in quocumque fuerit signo, eius nature corruptionem minatur. Quod si a Marte venit infortunium, lites et angustias terrarum partibus illorum signi actinentibus, victualium autem habundanciam. Si vero salvus sit infortunio Sirie partibus Ismaheliticis salubre Adriati<ci>s aut perniciosum. Nam et terre motu eosdem terrebit / saluberrimum autem Sidonis provincie 108rs

multaque eo anno terras et pelagus pervolat fama.

Inter omnes autem stellas Mercurius et Luna facillime bonum malumve recipiunt, frequens enim adustio reddit imbecilles. Cum igitur alter eorum anni dominio regumve ducatu sublimatus, infortunio vero corruptus fuerit: cladem regum, pestilenciam gentibus dictat, fructuum quoque dampna. Et universaliter pro loco et vi Mercurii: ventorum aura, sapientum studia, mercature negocia variantur. Cum autem Mercurius beatus fi atahuvil anni dominium optinuerit ipseque extra adustionem orientalis et in aliqua dignitate sua eo anno clarissimi nascuntur philosophi.

De Lune dominio

Et vero cum Lune concessum fuerit anni dominium ipsaque munda sit pluviarum et mandatorum frequenciam significat, multum quoque significat terrarum gaudium et exaltacionem magisque si recepta fuerit nihilque litium aut perturbacionis admittet. Si vero accedens fuerit ad benivolas, pluvias nivesque fundet. Nam Diarome climati, Indis etiam et Ethiopum terris adversatur. Si vero fortis fuerit, addens et lumine et compoto, munda infortunio, victualia cara erunt. Nam si nocte fiat atahuvil et Luna sic locata in anni dominium ingrediatur, minuet dampna sicut et Sol in diurno atahuvil sic locatus. Que si infortunio respecta sit, metus et terrores in terris seminabit, discordiam quoque presuramque gencium, mutaciones locorum; finem tamen

anni ad meliora deducet meliusque in climate suo. Nam si a Marte venit eius infortunium, ipsa tamen eo fortior, infancium et adolescencium laborem portendit. Quod si Mars ea fortior, pro modo respectus eorum iudicium veniet. Ubique vero locus Lune a Saturno discernendus est.

## De dominio Iovis

Quando Iupiter annualis dominii solium conscendit pacem terris principibus omnium concordiam imperat, religionem firmat, bonos exaltat. Qui si receptus fuerit, amorem populi regibus et prelatis mandat, tritici et ordei, serici quoque facit habundanciam; Persarum autem quamdam innuit perturbacionem. Qui si corruptus fuerit, magnatibus Babilonie minatur. Nam si a Marte venit infortunium ipseque fortis in anni fine famem parat ezelzeva ‹azalzala› --id est terre motum--terris eius signi in quo Mars extiterit. Cum autem Iupiter anni dominus eo quo diximus modo de Mercurio locatus fuerit, eo anno clarissimi religionis magistri nascuntur. Acque ad hunc modum de ceteris quoque stellis iuxta naturam videlicet earum venit iudicium. Sed et hoc contrario. Omnis quoque stella particeps anni huius hoc iudicium iuvat, nisi quod Iupiter et Mercurius in donis suis largiores inveniuntur. Omnis autem stella expers anni / suis 108rd
natis laboriosa est.

Inter hec igitur intuendum que stelle anni dominum respi-

ciant, quoniam earum respectus eius natos variat. Intuenda quoque natura infortunii utriusque. Quod si fuerit in cardine, tribulationes et angustias et discordias miscebit: si fuerit rectum usque vel post ad retrogradacionem; si retrogradum, usque vel post ad directionem, et miscebitur radius eius cum radiis regum. Qui si misceatur cum duce gentis, multos latrones et fuers fore significat. Quod si orientale, usque dum occidentale fiat. Et si fuerit in loco unde oriens respiciat, nec in cardine ipsum retrogradum, perniciosum est gentibus eius signi in quo fuerit infortunium. Nisi videlicet radium suum cum domino orientis vel eius radio miscuerit sive cum domino summi vel eius radio.

Quod si infortunia aversa sint, non nocebunt nisi aliquod eorum anni dominium possideat et dux sit regum; et id si ita fuerit, discordiam et tribulationes parat.

## De dominio Martis

Cum autem Mars anni dominium usurpat ipse mundus fertilem quidem facit annum. Sed tami et zelzen--id est cladem et terre motum--multam, armigeris autem largiorem promittit fortunam frequentique gaudet discordia. Qui si sit a Saturno infelix multos metus et terrores in terris eius signi. Verumptamen Iovis si respectus interveniat, pro vi sua Saturno resistet, Martem placabit. Mars tamen, quia non leviter bono concedit,

multam mortalitatem parat magisque iuvenum et adolescentum. Si enim Saturnus Sole respectus in tetragono aut oppositione Martis sit, Luna vero cum Marte vel ipsum respiciens: lis et discordia multa consurget. Qui si eo anno in aliqua dignitate sua adustus fuerit, vel ipsum Saturnus tetragono aut oppositione respiciat sive iungitur ei, in eadem scilicet latitudinis parte, rex eius climatis ventris dolore vexabitur.

Quociens autem Mars anni dominus fortis fuerit, multa armorum feritate Babiloniis incumbet. Qui si ita orientalis fuerit terribiles tonitruos et fulgura parat. Si vero occidentalis fuerit, tardius hoc faciet. Validissima autem erunt hec omnia cum ad oppositum sui gradus pervenerit rerumque signo velud ignibus aura rubescet. Qui si in summo fuerit, regibus et principibus insidiatur, estatem quoque pulverulentam et gravem estu facit.

Inter hec intuendus erit eius per circulum cursus. Nam vel si fuerit in Ariete aut eius ternario rectusque in cardine, acutos homini morbos, validas principum controversias parat; si vero retrogradus, latronum quidem factiones multaque per orbem mala meditatur, Babilonem tamen precipue vexabit. Qui licet non sit in cardine, respicit tamen oriens, discordiam seminabit peiusque in terris eius signi; et si retrogradus, malo / rum est augmentum; 108vs quod si adversus ab oriente rectus fuerit, non erunt que dicta sunt preter colorem nec nisi in eius signi terris.

At vero si in Tauro eiusve ternario et in cardine rectusque fuerit, arboribus acque animalibus nocebit, hominum autem controversiis et lite gaudebit. Et si dominum anni ita respiciat, hominum fata parat. Nam si ducem regis respiciat, regi minatur. Et si radius eius cum Saturno misceatur, peius; ac deterius si ipse retrogradus. Qui si oriens respiciat rectus sineque Saturni consilio, non erunt que dicta sunt nisi in terris quarti ab ipso sive oppositi. Nam retrogradus frugibus infestus est; cui si Saturnus misceatur, quartam frugum partem vastabit. Et si aversus ab oriente rectus sineque Saturni consilio, non erunt hec. Nam si retrogradus, sui signi terris magisque cum Saturno adversatur.

Cum autem in Geminis aut eius trigono et in cardine, hominum sanguinem fundet. Nam si rectus ibidem iusticiam et veritatem iuvabit, retrogradus autem odia seminat. Qui si ita oriens respexerit dolores ex vento et sanguine creat, magisque in sui signi quartive sive oppositi climate. Et si ita retrogradus hic dux est, tawan--id est cladis--ac si aversus ab oriente et rectus, latronum iuvat nequiciam, hominibus sanguinem, seminibus auram corrumpit. Nam retrogradus, acutis doloribus et igne necabit.

Quod si in Cancro eiusve sit ternario et in cardine at rectus sine consilio Saturni, controversiis Arabes fatigabit vimque non nullis Sirie partibus infert. Qui si ita oriens respiciat et mundus, impotens erit mali nisi quod Parthos miscebit. Nam si retrogradus fuerit, suo signo quartoque et opposito arma ingerit, omnino autem

cum in decimo est, potentibus infestus. Cum autem ab oriente aversus rectus mundus a Saturno fuerit, suo autem signo impius erit. Nam si retrogradus conferens Saturno in cardine sito, incrementa malorum iuvabit, morbos scilicet et mortem; sine Saturno vero, apostemata inflat.

## De Saturni dominio

Quando vero Saturnus anualis dominii sedem premit, multum frigus, morbos, amissiones, mendacia parat; nubes et ventos australes in Babilonia, odium et invidiam seminabit, cladem quoque et devastationem donec consilium eius alia mutet stella. Cum igitur ita contingerit si benivola interveniat, minuetur malum eritque valida et invicta Romanorum manus, mortalitate tamen eos impediet, eruntque fertiles Tracum frugum et Hyberie regiones. Et si de benivolis mixte fuerint cum Saturno, augentur eorum bona. Quod si Saturnus cum Marte in car / dine fuerit miscebunt 108vd
quidem lites et prelia sed victoriam Saturnus suis conferet. Nam si idem Saturnus aut anni integri aut quarte anni dominus in octava domo inventus fuerit, Mars autem in signo quadrupede, fatali ferro minantur.

Si vero Iupiter et Sol Saturno iuncti aut eum amice respexerint aut etiam in domo eius sint, victoriam saturnino signo conferunt. Et si Saturno anni domino Mars quarte principatum ducat, itidem bellorum finem saturnia castra optinebunt.

Nam si sub eodem Saturno Iupiter in quarte dominium assumatur pacem suadebit. Sed si Mars Saturnum aut quarte dominum respiciat ut alter orientalis alter sit occidentalis, lites et luporum feritatem iuvat.

Quod si nocte fiat atahuvil et anni dominium Saturno concedat in oriente aut summo consistenti, Luna vero cum Marte, Saturnus retrogradus, Mars vero stans et Luna ad ipsum accedens, dominus autem orientis adustus, Saturnus quoque Martem sub Sole respiciat, aut Mars stans applicet cum Saturno retrogrado, aut eciam Sol corruptus, aut pars fortune cum artifice Mercurio ipseque rectus Saturnum respiciat, que inquam si ita veniant omnia toti mundo sunt incommoda; presertim autem aeris corruptionem moliuntur et tribulationem hominum, magnatum quoque controversias.

Sciendum vero quociens in atahuvil Saturnus cum cauda in eodem invenitur signo, frigoris et famis signum est. Quod si in Cancro contingat, aque decrescent et aquatica pacientur. Si vero in Piscibus, metum religiosis incutit. Quo si Mars respexerit, gladius eos persequetur; si Luna, patria pellentur; nam si Venus, sufferentur; quod si Sol, regi subiacebunt.

Saturnus autem dux est terre motus, submersionis, sitis, precipicii. Cum vero Mars applicat cum Saturno, testimonium eius firmat, magisque Marte superius emisperium tenente, Saturno autem inferius. Cum ergo in signo aquatico ita locatus fuerit

eluviem generat; in signo sicco, siccitatem.

Quoniam orientalis proventus terre motu terretur, magisque in cardine et aliqua dignitate sua. Occidentalis eluviem inmittendo procipicia fodit. Nam in Cancro aquas imminuit quia Cancer est eius ehewebel <äl-wabal> --id est exicium--et hoc modo pro ceterorum natura et respectu iudicabis. Nam quando in Ariete eiusve ternario recte incedens fuerit et in cardine, in partibus Babilonis frequens erit attagir--id est alteracio--multeque pluvie, rarum frigus, discordia principum magisque si Martis legerit consilium. Quam si retrogradus fuerit, Parthis et mariti inimicus. Si vero in summo fuerit, plebi principum invasionem suadebit.
Nam si respiciat oriens et rectus, magnates curis / vexabit; re- 109rs
trogradus vero, thesaurorum apotecas vastabit, magisque si pariter Lune Martisque legerit consilia. Hoc enim multi frigoris et pestilencie in animalibus causa est. Si autem aversus ab oriente rectus fuerit nec Marte respectus, multum frigus et animalium mortalitas; retrogradus autem vulgo controversias mandat; quem si Mars de cardine respexerit, omnia firmiora erunt. Si vero aliunde respicit nichil fortitudinis affert.

At cum in Tauro aut eius trigono in cardine et rectus fuerit, controversias homini, cladem ovium ei terre significat in cuius signo fuerit; retrogradus autem omnibus germinibus nocebit; puerorum quoque et adolescencium fata parat. Qui si in summo sit nulli parcet etati; qui si sit remotus et aversus ab oriente et

erectus, erunt que primo dicta sunt. Quod si Luna in eius trigono fuerit, regis magni mortem nunciat; particeps autem eius erit anni dominus: retrogradus autem germinibus nocet, adolescentes et iuvenes necat. Itidem aversus et rectus et sine Martis consilio, pauca facit mala; retrogradus autem et Marte corruptus, fruges devastat, homines debilitat sui videlicet signi et quarti acque oppositi.

Cum autem in Geminis sive trigono eius in cardine et rectus, ventos agit, frigus stringet, nature sue mor. t. ibus et morbis humanum genus afficiet; volatilibus quoque nocebit. Retrogradus autem regibus et principibus arma inperat. Qui si remotus et aversus sit ab oriente rectusque, australes et septemtrionales miscendo ventos et terre motu terrebit. Retrogradus autem aeriis.

Si vero in Cancro eiusve ternario sit in cardine et rectus Marte averso, post frigus locustas et brucos in suo signo et quarto acque septimo dabit.

Qui si sit retrogradus, multorum eiusdem climatis factum accelerat. Marte vero respectus et benivolis aversus, suo climati mortalis est. Et si remotus acque aversus ab oriente aquarum inundacionem et frigoris astrictionem operabitur. Nam si sit rectus applicante benivola, malignitati sue parcet. Retrogradus autem vel Marte respectus, corruptione terrarum signi quarti acque oppositi gaudebit. Quod si aversus ab oriente nec Marte

respectus, pacem sufferet meliusque peragrata medietate signi, non tamen penitus innocens eiusdem signi terras infirmitatibus afficiet. Similiter autem et retrogradus et Marte respectus et benivolis aversus, multam hominis discordiam, inundacionem, locustas generat.

Post hoc igitur intuendus erit locus Saturni. Nam si fuerit in oriente, effectus eius primates invadet. Si in secundo, possessiones, et ad hunc modum per omnes 12 domos iuxta earum naturam et significationem. / Deinde intuendus anni dominus et stella- 109rd
rum quecumque fortuna.

De salute et corruptione stellarum

Sol enim regum et principum dux cum in atahuvil corruptus fuerit illorum corruptionem notat pro loco domus in qua fuerit. Cum autem salvus, eorumdem item pro loco suo salutem.

Saturnus quoque magnatum et senum dux simul et agriculture, si corruptus fuerit, pro loco suo illis nocebit. Si enim cum Marte: arma illis inferet; nam si cum cauda ipseque dominus anni, gravem nunciat famem.

Iupiter autem iudicum et potestatum atque religionis dux si corruptus fuerit, adversitatis illorum generi signum est. Nam salvus salutis, Babilonis tamen principibus amicus esse non potest. Nam si eius corruptio de cauda venit, mortem potentum nunciat; si vero de Saturno, in suo signo reges subiectis incumbent.

Mars armorum et milicie dux cum corruptus fuerit, ducum milicie et tribunorum plebis casum significat in suo videlicet signo. Nam si fuerit in domo possessionis eiusve opposito aut domo regii thesauri, dispercionem regis peccunie significat. Qui si in summo sit et retrogradus, clientele regis inimicus; quod si sit eius domus, familie regis.

Venus mulierum et eunucorum dux si corrupta fuerit illorum negocia corrumpit. Si ergo corruptio eius in oriente ipsa vero in octavo fuerit, puellarum fata flebit. Si vero in decimo, adolescencium sepulcra querentur; ipsa autem si in oriente fuerit mediocrem mulierum etatem lugebit. Si autem in quarto in aniles annos fati convertet insidias. Et ad hunc modum in suo ducatu pro loci natura et significatione corruptionisque modo quelibet stella mirabili ratione suos in mundum agit effectus. Nam si sit corrupta Venus in signo igneo, eius pars ignis corrumpetur. Nam si in signo aerio quod ipsa possidet in aere corrumpit. Si vero in signo terreo, quod ipsi concedit de terra et deinceps. Quod si corruptio Veneris a Saturno fuerit, uxoribus potentum timendum est, Arabum quoque dampna magisque in Scorpione notat. Omnisque stella corrupta sue significationis detrimentum est.

Mercurius vero scribarum, philosophorum, filiorum, puerorum et mercature ducatum gerit. Quociens igitur in atahuvil corrumpitur sue potestatis est corruptio. Qui si in oriente corrumpitur, dampnosum est pueris; si in quinta, filiis; in nona vero,

scribis et philosophis. Omnisque stelle corruptio per omnes duodècim domos pro loco suaque significatione nociva est. Nam si Mercurii corruptio a Marte fuerit, regum secretariis et consiliariis nocebit, multorum hominum clades, civitatum et meniorum di / ruciones, turium casus. Cum autem a Saturno Mer- 109vs curius corrumpitur perturbacionem multam significat. Quod si simul benivole permixte sint malivolis, omnia erunt mediocria. Si vero Mercurius licet cum infortunio sit applicet tamen cum Iove, exaltationem sapientum tribuit. Nam si cum Venere fuerit benivola miniis et puellis et ceteris propicia est. Cum autem Mercurius in signo terreo corrumpitur, olerum corruptionem significat vel nunciat et ita deinceps.

Luna autem esse gencium viteque eorum mandatorum quoque signa profert. Cumigitur in atahuvil corrupta fuerit corruptionem pro loco dominii sui patitur. Nam si in sexto, infirmitatibus afficiet nature signi unde infortunium Lune advenit et sic deinceps.

Omnis ergo stella in atahuvil corrupta pro loco suo, corruptionisque genere sue significationis dampna nunciat. Sol igitur in atahuvil corruptus anime spiritum aeris quibus preest dampnacio, Luna corporis humorum et nature hominum; utrumque simul utrorumque. Stelle vero superiores depresse vel retrograde vel aduste aut quoquo modo infortunate, aurarum et volatilium corruptionem notant ad naturam loci corrupti et corrumpentis. Cum autem supere inferiores corrumpunt in climatibus et

significatione inferiorum pro earum loco naturaque corrumpencium erit rerum confusio. Quod si superiores in signis aeriis corrupte sint, firmior erit earum significatio per aera perque loca eidta. Similiter in summo sive in superiore posite hemisperio. Nam si in signis terreis corrupte sint corruptio super terram sedebit. Similiter supere superius, infere inferius hemisperium tenentes faciunt. Quod si Mars super terram de signo terreo cum Saturno in simili sub terra applicet, in terra signi Martii eruptionem cavernarum casumque rupium significat. Et si Mars retrogradus, inflammationes. Similiter Saturnus in almagrib, Marte in summo sito. Que cum in signis aquaticis corrumpuntur in locis humidis corruptionem locant. Nam cum in signis terreis corrumpuntur, fulmina tonitrusque terris minantur. Inferiores autem si in signis igneis corrumpuntur exustionem terrarum. In terreis enim seminum germinibus nocent. In aquaticis aquas inficiunt. In aeriis locustas et brucos generant.

Luna adusta con infortunio in cardine magisque in Piscibus aquas corrumpit nisi Venus et Mercurius vel cum ipsa sint vel ipsam respiciant. Infortunia quoque si in cardine fuerint aerea corrumpunt. Similiter Sol ita locatus. Omnis itaque stella corrupta, suas in mundo partes corrumpit.

Si ergo cor / rumpitur in signo igneo, erit corruptio ex 109vd
igne magisque in magnates. In aquatico vero humores inficiuntur. Cum autem de superioribus in aeriis signis aliqua corrumpunt ventorum malignitatem hominum et volatilium difficultatem innuit ac deinceps. Semper autem pro loco earum in circulo acque natura corruptionis significatur, admixta videlicet respiciente.

Lumina vero corrupta primatibus presertim nocent.

Postquam igitur anni dominus diligenter notatus est stelleque per circulum locate, dominium omina et infortunia in singulis anni quartis, denique boni atque mali, sicut docturi sumus solerti indagine per omnem circulum sectandi.

De salute et corruptione signorum

Aries cum fuerit in atahuvil corruptus eo anno sive quarta Babilones et Perse ac quicquid in oriente summum est adversitate ferietur; magisque dolore capitis vexabuntur et id pocius si oriens fuerit Aries aut Libra. Mortalitatem quoque pecorum significat; erit autem precipue primatum perturbacio, peius autem orientalibus Saturni in Ariete infortunium. Cum autem in Ariete infelix Mercurius fuerit, pecorum in oriente stragem significat,

habebitque ea terrarum pars magnas pro metallorum locis lites. Quod si simul Mars retrogradus fuerit, orientalium regem magnum necat. Nam si Saturnus corruptus sit vel Marte de loco averso respectus, multam hominum tribulationem predictis adicit. Nam et renes, testes, sperma, vesicam et intestina corrumpit. Quo si Iupiter et Venus respiciant, mala omina vetant.

Inter hec autem lumina stelleque respicientes earumque loca notanda, inspicienda quoque et ahizemena dominusque eius, Martis quoque locus notandus.

## De Tauro

Deinde Taurus domicilium Veneris, principatus Lune, si Marte corruptus fuerit qui est eius inimicus, aut Saturno, per Affricam usque ad perustam tribulaciones hominum aget. Quem si Mars respiciat, Venere in ipso sita, Saturno retrogrado Marte coniuncto aut principatu Lune, ipsa autem in casu suo per oppositum, que si ita sint omnes Tauri regiones pacientur, boum et segetum stragem significat; quantoque peior incederit stella, tanto ipsius maior pernicies. Que si retrograda fuerit peius. Igitur ipso corrupto omnia eius dominii corrumpentur; erit et hominum difficultas maiorque hominum in cervice passio, peiusque si Venus adverso teneatur loco, acque id deterius si Mars vel iungitur ei vel respicit ipsam. Mars enim Venerem corrumpens mulierum genus viciat multoque puellas afficit dolore. Inter hec

notandus locus anni domini a Tauro: qui si / male respicit Taurum, 110rs Venusque cum malivolis applicat aut adusta sit, omnia adversa nunciat. Quod si quibus applicat sit Saturnus.et Mars idemque retrogradus, lites et stragem hominum. Videndus quoque Tauri locus in circulo: qui si fuerit in parte orientali, orientalibus adversatur, si in parte occidentali, occidentalibus; sicque in ceteris. De nulla ergo stella retrograda suo climati quicquam spei proponas.

## De Geminis

Gemini si corruptum fuerit et Mercurius in loco adverso, Mars autem aut Saturnus in Geminis, Mercurius adustus aut ad septem dies adurendus, dominus etiam alestima eius mensis cum malivolis, si hec inquam ita fuerint, adversabuntur beit el mediez--id est domui consecrate (quam nos Iherosoliman dicimus) - Assiriis etiam ac non nullis Indie partibus omnibusque Geminorum finibus discordias et lingue vicium prenunciant. Quod si Mercurius adustus Mars autem in domo sua, exustiones significat. Et si Saturnus aut Luna cum Marte fuerit, potentes invadunt; quo si upiter vel respexerit vel ibidem fuerit firmus, resistit malo. qui si corruptus, inpotens erit contra malum. Sicque pro ceteris bonis,malis vel iunctis vel respicientibus iudicandum est. Nam si Saturnus assit, discordias facit magisque in partibus Geminorum. Deinde videndus Martis locus et in qua circuli parte fuerit;in ea terrarum parte vim suam parat. In qua vero parte lumina iuncta

fuerunt, ea pars alias superabit. Deinde domini trigoni notantur eorum loca: qui si fuerint in locis adversis, eo anno natis parvam spem ponas, peiusque si is locus fuerit oriens.

## De Cancro

Cancer autem si perversus fuerit, Luna quoque infelix nec oriens nec domum suam respiciens, omniaaquatica corrumpuntur; Armenis autem et Sabeis Arabum famam prenunciant multasque illis locustas et brucos generant. In quo si Mars retrogradus sit, lites adicit atque utrumque mundi verticem sanguine perfundet. Quem si Saturnus respexerit, malum augebit. Saturnus autem retrogradus, Iove temperatus, mala temperat. Inter hec intuendum oriens anni dominusque eius dux principum, dux quoque gencium in quibus sint terminis. Qui si sint in locis adversis, principum iniustam vim significat; inter quos si Iupiter fuerit orientales ceteris preminebunt. Si Mars et Saturnus, alterque aut ambo retrogradi, reges manus conserent. Quod si cum Marte Iupiter ibidem et Saturnus rectus, Venusque in Piscibus, Luna vero in Tauro sit, omnes terras pace et quiete tenebunt. Si vero Mars ibidem rectus, apud Memphiticam provinciam novus rex consurgens bella monebit.

## De Leone

Leonem sive loci adversitas sive stellarum infortunium

corrumpat, orientibus Sabeis / Tirii Medis et Parthis sua feritate adversatur. Quod si pariter Sol in loco adverso Marti vel iuncti vel respectus, aquarum detrimentum; lites etiam orientalibus nunciant. Considerandus autem Solis locus die, Lune vero nocte, cuique Sol applicet sicque dominos omnium per ordinem signorum eorum status prosper et adversus. Que ergo in Leone fuerit, eius natura cum Leone mixta indicabis; in quo si forte eclipsis contingerit, infortunio adiuncto et presertim pr. cipibus perniciosum est. 110rd

## De Virgine

Virgo quoque domus Mercurii artium. In qua si Mercurius extra adustionem fuerit, quasi rex coronatus inter stellas imperat. Eo igitur anno quicumque nascitur Mercurio familiariter oriens eius respiciente, excellens inter philosophos regumque consilia statuetur, mercatorum quoque et scribarum quantum ad atahuvil respexerit lucra conponet, gaudia quoque Virginis climati nunciat. Que si pariter cum domino suo corrupta fuerit Persarum, Scitharum, Romanorum quoque dampna significat. Messibus namque et mulieribus nociva, medicorum quoque precium minuit; quam si Saturnus et Mars vel possederint vel respexerint, Mercurius autem in loco adverso benivolis aversis Luna quoque cum Marte, Saturnus autem dominus alestima vel izticbel magnam sapientum adversitatem significat. Et ut brevius plura pro Virgine scienciis

respondendum. Quod si Venus Mercurius et Luna pariter sint corrupti, fantasmata per aerem apparebunt. Si vero Saturnus illic benivolis aversis fuerit, Medis inprosperum. Pro quolibet itaque climate sua consulenda erit stella, proque statu stelle climati respondendum. Si ergo stella simul cum Sole fuerit in adustione, mutaciones significat; que si fuerit Saturnus vel Mars, doloribus aut ferro vitam mutat. Et ad hunc modum in ceteris iuxta eorum situm et significationem.

## De Libra

Libra si corrupta fuerit, Venus autem in Ariete adusta aut in alio loco averso male domum suam respiciens, aut sit in gradu principatus Piscium, sive aqua ita fuerit, nullum in Veneris significatione sanum venit iudicium; puellarum autem multos significat dolores peiusque si infortunia retrograda ipsam respiciant.

Deinde videndum ubi sit stella necans et urens, id est Mars, eiusque utrimque respectus, dominus quoque adversitatis, id est Saturnus, loca simul Veneris et Lune stellaque magis habens in Libra; quod si Libra sit oriens et corrupta, Venus etiam adversa, peiusque Venus ascendens infortunia post ipsam radiis ferencia. Que cum ita conveniant, mulieribus adversantur, ventos corrumpunt magis in Alexandris partibus et circa Cirenem, Parthis quoque nocent. Nam si hec infortunia Libram dominumque eius

ita corrum / pant, multas mundi corruptiones notant. Intuenda 110vs quoque maxima Veneris velocitas, que est ante eius alwazat fuerit, ab uno usque ad 70 (sive 90), queque sit coniuncta vel respiciat ipsam; que si sit armipotens in eius regione mulier eo anno regni sceptrum geret. Videndum etiam utrum sit orientalis aut occidentalis et in quo signo et eo modo iudicandum.

Inter hec notandum si aliqua de novem cometis appareat et in quo signo, masculo videlicet aut femineo; Venus quoque si in parte circuli mascula vel feminea sit, eisque qui eorum fuerint dominii status sui significationem transmittunt.

## De Scorpione

Scorpius si corruptus sit, Caldeis et Sabeis adversatur. Nam et barbaris nacionibus scorpionum et luporum metum ingerit. In quo si Saturnus sit retrogradus, Marsque cum ipso simulque invicem suis aspergantur radiis alieque corrupte, videndus erit anni dominus si sit corruptus acque infortuniis respectus, simul et Luna si sit maczufa, sive Sol. Nam si sit eclipsis Solis, alestima dominus notantus erit. si vero eclipsis Lune, dominus izticbel. Qui si sit infelix et in loco adverso, adversitatis est signum, omnesque possessiones corrumpentur. Generaliter autem omnes quorum oriens est Scorpius afficientur usque ad mutacionem consilii magisque Iove adverso sive adusto, Lunaque vel iuncta infortuniis vel respecta, sive in exicio--id est

detrimento--animalium interniciem significat, regesque novi consurgent, pluvieque et frigus multum et simul et vesice impedimentum.

### De Sagittario

Sagittarius corruptus et Mercurius debilis in loco adverso principum et religionis acque artificum periculum significat, maritimis perniciosum, Armenis incommodum magisque Marte et Saturno in ipso coniunctis; nam sic et oculorum dolorem adiciunt et multam potentum vexacionem, morbos etiam quarumdum Sirie parcium sive Hispanie. Cum autem Iupiter de loco prospero domum suam respicit, ipseque in oriente aut dominus orientis, omnia emendat magisque in trigono Solis die; nam nocte minus fortis.

### De Capricorno

Capricorni corruptio ac dominus eius adustus Indis et Medis barbaris et Trachibus, Albanis, nonnullis etiam Africe partibus adversatur acque in omnibus eius finibus pueris arboribus et omni germini nocet simulet omnibus eius anni natis, reges iniquos, latrones roborat.

### De Aquario

Aquarii vero corrupcionem Adriatici, montanaque Siria

usque ad Eufraten et hinc ad Tigrim senciunt; eritque eorum e
mul / tis regnis corruptio eiusque in climate magna clades. In 110vd
quo si Mars fuerit, regem magnum destruit. Litesque validas
per omnem occidentem aget, maritimis metum incuciet.

## De Piscibus

Pisces autem si corruptum fuerit dominusque eius adversus et aversus in Pisce vero infortunium, religiosi multa pacientur, Siris etiam et Romanis adversitatis signum; nautis autem pericula multos, quia ventos ingerit; malum quoque Virginis et Geminorum finibus ac deinceps.

## De parte fortune

In omnibus que dicta sunt *zahmazada*--id est pars fortune --eiusque dominus consuluntur nec non et locus Lune simul *alestima* acque *izticbel* in quo fuerit loco sive eorum domini omnisque signi dominus notandus est ubi sit ab oriente sique in aliqua dignitate, sua quoque res sit respectu ad alias; post hoc igitur oriens intuendum eiusque fortuna acque infortunium. Hincque usque ad finem 12 domuum per omnes earum possessiones in terris acque significationes, similiterque statum stellarum descendit speculatio. Inter has autem cardinibus maiores tribuende vires domibusque ducum similiter; nam ducis clima sive prosperam sive

adversam eius vim forcius sentit. Natis quoque eiusdem signi sive in quo dominus eius fuerit prosperum, nisi primitus corruptum sit.

Distribuerunt igitur universi terrarum orbis climata diversis stellarum dominiis; quo facto, per omnem circulum deducetur speculatio qualisque stellarum in circulo repertus fuerit status, talis sine dubio terrarum fortuna sequitur. Erit autem septem stellarum qualiscumque status per domos suas deducendus. Si enim dominus orientis corruptus fuerit substancie ipsorum hominum corruptionem molitur regisque in cardine. Si vero domus 2ª possessionum et ita per ordinem iuxta cuiuscumque significationem.

### De quartis anni

Quoniam principalis annorum dominii inventio tradita est, secundarii quartarum anni principes eligendi sunt. Primum igitur semper Solis introitus in quodque signum conversivum observandus est; in eaque hora oriens constituendum, cardines firmandi, stelle per circulum locande. Stellarum quoque dignitatibus discretis locis annotatis, que in cardine sive in quolibet firmiori loco fortior inventa fuerit, ei quarte dominium concedit. Sed neque tot necessaria sunt hec testimonia quot illic inquirenda prediximus.

Quod si nullam in quo dictum est modo stellam invenire contigerit, inter omnes septem erit eius quarte divisio: primum etenim orientis domino 13 dies tribuentur; deinde secunde post illam totidem, indeque ad ultimum per ordinem planetarum. Facto descensu, 91 dies--anni scilicet quarta--inter septem stellas pariter est / distributa. Hanc autem rationem inveniendi huius 111rs
ducatus stellis in suas prefecturas intrantibus servare oportet. A quartis autem usque ad mensium atahuvil descensus fieri solet. Nam Sole in principium cuiusque signi intrante, huiusmodi speculatio fieri potest: si ergo in principio anni bonum malumve occurrerit, et in alia quarta contrarium, commiscendi erunt stellarum affectus rerumque collate quodam modo temperandum iudicium eventusque varii per sua discernendi loca, iuxta diversitatem motusque stellarum qualem deinceps dicturi sumus.

## De vario stellarum motu

Quociens Saturnus in atahuvil retrogradus est in Leone aut Virgine sive Libra seu Scorpione, magisque in postremis Leonis et Scorpionis--que sunt a 23 usque ad 30. Quod si sit in Scorpione, Marsque de suo sive Saturni termino ipsum respexerit, illeque ita in oriente Sole averso, intuendus erit dominus termini orientis; qui si fuerit orientalis in loco prospero habeatque firmum aliorum adminiculum, eius climati prosperum est, Medis perniciosum est. Absolute vero si in Scorpione retrogradus fuerit, principibus

iras et prelia mandat. Qui retrogradando si transivit terminum stelle ipseque in loco inimico eius stelle, climati adversum; si tamen respectus hic amicus fuerit, minuit malum. Quod si cum Saturno pariter Mars in Scorpione retrogradus, multa sanguinis effusione gaudet et consurget in Martis climate rex rufus. Sique ambo in Martis termino fuerint, rufi clima bellis miscebunt; si vero in termino Saturni, terre que ad Saturnum pertinent etiam sanguine madefient. Et si forte Luna ibidem intermixta fuerit, natis et matronis periculosum est. At vero si Venus in Tauro occidentalis eosdem respicit, pro eius in terris dominio hominibus ipsius status revelat vel adicit. Respiciendum autem in cuius termino sit Venus isque erit in melius adminiculum. Cum autem Sol aversus fuerit cum cauda, inprosperum est. Quod si ibidem sit adustus multe adversitatis nuncius esse cogitur.

Quando vero Mars in atahuvil orientalis fuerit in Capricorno, Medis eiusque climati prosperum. Cum quo si Saturnus sit, videndum quis vel accedit ad ipsum vel recedit ab ipso: qui si fortis fuerit, cuius nativitati preerit eo anno proximam regno dignitatem optinebit. Si vero Iupiter fuerit adustus aut retrogradus in Libra, discordiam orientalium nunciat. Qui si in Scorpione retrogradus fuerit, intuere in cuius termino sit, eiusque climati stragem bellicam et aquarum corruptionem iudicabis. Videndum quoque que stella miscet radios suos cum ipso et illa iuvat. Cum autem Saturnus respiciat anni dominum respicit nec est in loco

li / tigioso, qui eo surrexerit anno sine difficultate regnabit; si 111rd vero Mars respexerit, litem generat.

Mars autem cum retrogradus fuerit in Ariete aut eius trigono, in 12° Sol aut in 7 sive Luna sive adusta sive depressa, partibus Martis periculosum.

Si vero Saturnus in 6 fuerit et velox, Medos cum Scithicis, Ethiopibus Batricam . Bactriam. cum India, Hyberos etiam Tyros miscebit.

Item Mars in Tauro retrogradus Venus autem in Scorpione Marsque in sexto ab oriente, Medis perniciosus est. Cum autem Iupiter in nona fuerit, Sol autem in Libra in termino Martis, eius climati adversatur. Quod si infortunium sit in Virgine Minerve (vel Perse) menibus minatur. Si autem in Libra, iudicis tribunali nocet. Cum autem Mars in Tauro retrogradatur, malus est. Qui cum in Geminis post primi orientis decanum retrograditur et die, hominibus cladem, fructibus adustionem ingerit et id quidem in secundo decano. Nam in 3° quadrupedibus nocet, mulierum genus multa exurit Venere; in primo autem mimis et theatricis omnibus adversatur. Et si ita positus Mars in 7°, Venus autem in 12° sit, longum hoc durare significat. Quem si Iupiter non respexerit, infortunium aut metus erit ex parte Geminorum. Cum autem in Cancro retrograditur, navigiis et religioni periculosum est. Peiusque in gradu principatus eius; in quo si pariter Luna fuerit, perverso zelo multi proprios talamos illicito sanguine maculabunt (qui mos apud nequam agarenos inolevit).

Deinde videndum est cum quo applicat vel a quo recedit: utrique enim pro posse adversatur. Cum quo si Saturnus fuerit et ipse retrogradus, magisque in Leone, lites et discordiam seminat. Quod si in atahuvil anni ambo orientales et in superiore circuli parte, multas gentes in arma vocant. Et si Iupiter cum ipsis fuerit, Babiloniis adversatur. Quod cum Iupiter in Piscibus recedit ab ipsis rectus, in partibus eius ex parte Saturni bella consurgent. Cum autem Venus in Sagittario conferens Iovi, bonum; Luna vero cum in Libra, Iupiter autem sub Sole dominus Lune, eius terre nocebit.

Item cum Luna sub Sole, Venus orientalis in Libra, Venus ipsi favebit. Cum autem in Virgine Mars retrograditur, Persas philosophos et etiam scribas invadit. Videndum quoque in quo loco vel stat vel retrograditur. Si vero cum retrograditur eius regionibus nocet. Nam in Scorpione suis nationibus adversatur. In Sagittario autem plebis manus regibus inicit. Cum autem in Capricorno retrograditur, videndum erit in quo termino, eiusque stelle provinciis nocet, magisque stans ad retrogradandum. Quando vero in Aquario Indis, Sabeis et Gaditanis partibus nocet, peiusque Saturno in Cancro aut Leone sito; sic enim usque ad Sichiam Ethiopiam / martialis pervenit its. 111vs

De Saturno quoque notandum quando videlicet in primo et medio Cancri gradu consistit in primo quoque Scorpionis et medio Geminorum simul et in gradibus Arietis. Nam si in atahuvil anni

in hiis fuerit locis, multas significat discordias magisque Marte respectus; nec enim cessabit donec eius alia mutet consilium, ut videlicet domina domus vel prefecture in qua fuit.

Mars autem omnino dux litium et exustionum. Saturnus autem infirmitatum et mortis. Si ergo ambo hec infortunia applicant cum domino orientis in atahuvil, que diximus meditantur, peiusque si ipsi fuerint in oriente anni aut quarte. Quocumque autem infortunia respiciunt, si de opposito et tetragono per inimicos malum ingerunt, de trigono autem et pentagono, per amicos et in qua domo fuerint eius significatorum.

Quociens autem anni dominus duxque principum retrogradus fuerit, adversatur et si infortunium alterum in cardine in signo humano alterum autem applicet de opposito sive tetragono sive conventu, controversiarum signum est, peiusque ipsis retrogradis.

Inter hec intuendum si qui respicit est in oriente, qui respicitur in summo, in omnes terras suas spergere affectus. A parte autem orientis pax tandem progredietur. Nam converso locati, nichilominus quod dictum est. Quod si alter in summo alter sit in imo occidentem prement. Nam in occubente quoque et imo similiter. Qui si fuerit in signis firmis, firma erunt mala; in ceteris vero leviora. Mars autem si fuerit firmus, firmus erit in calore malo; Saturnus autem in frigore malo. Quod si

infortunia non sint in cardinibus, cicius pertranseunt mala; qui si invicem recepti fuerint ex quadam receptionis gratia malignitati parcunt. Nam si sic positi bellorum duces fuerint, levibus tantum vulneribus afficiuntur.

Sol autem quamcumque stellam adurit debilitat. Cum igitur adustionem quelibet intrat, laboriosum est; cum autem exit, recuperat; dum vero sub radiis est, suis nocet regionibus, peiusque si in atahuvil in cardine fuerit aut infortunio respecta, multoque deterius gelut bani annazem.

Si ergo de opposito conveniant infortunia, medietatem necant; si de tetragono, quartam. Quod si Saturnus Martem precedat, dedecus quidem pacientur, pauci tamen peribunt; si vero Mars Saturnus, multi in bellis occidentur. Cum autem aduritur stella precipue dux est exilii: que si sit Saturnus, cronicem producit; si vero Mars, festina strage condempnat.

Quociens autem oriens anni signum fuerit aerium dominusque eius corruptus, ipsius regionis ventos validos et multa mendacia agitabunt. Quem si Mars respiciat, aut Luna de 6, erit dux infirmitatum. Qui si in 8 fuerit ipsumque oriens infortuna-
tum, dominus etiam anni infelix, / multam significant mortali- 111vd
tatem; nec minus si dominus 8 in oriente fuerit. Cum autem Mars fuerit almudeber--id est consiliarius--annique dominus infelix, arma et incendia terris ingerit, hominibus apostemata inguinalia. Cum quibus si mixtus fuerit Saturnus, cladem multam adicit.

Quem si dominus octavi respiciat, firmiora erunt mala et grando validus per omnes terras decidet. Nam si Saturnus firmus sit et Lune vel iunctus vel respectus, in aquis et precipiciis necant. Si vero Mars firmus, ferro trucidat. Qui si in bicorporeo signo fuerit, sagittis minabitur. Idem in secundo ab utroque litium est iudex: et si in signo masculo, marium; si in femineo, feminarum. In quo secundo si Saturnus fuerit, animorum multam significat vexationem acque perturbacionem. Qui cum fuerit retrogradus in oppositione Solis et in principatu suo, Mars autem Solem respiciat et cum Saturno applicet, multas per varia loca seminant discordias.

Cum autem Mars in atahuvil in Geminis fuerit et in summo, eo anno multi suspendio suffocabuntur. Qui si sit in oriente aut occidente signo, manuum aut pedum truncationem minatur; similiter in quarto, peiusque quando alterum infortuniorum in almantek in tetragono eius fuerit. Verbi gratia, Mars conferens, Saturnus colligens, id enim est certissimum mali signum quod primates deiciet, ignobiles exaltat, religionem dispergat.

Inter hec intuenda est Luna. Que si consilium Saturno inferius de almantica--id est loco circuli--alauge ad almanteket azufle, desuper confert, permutaciones rerum significat.

Videndus quoque locus alestima et iztičbel quocumque modo locati sunt eorum domini. Hii enim sunt duces omnis rerum inicii. Cum autem Luna Saturno recepta fuerit in loco prospero et firmo ab oriente, malo resistis, bonum auget; illaque pro Lune

statu in eius dominio rerum iudicia sumenda similiter et in natis eius. Fortunate quoque si firme fuerint in loco prospero, mala dissolvunt, magisque directe. Quod si aliter fuerit, aliud quoque iudicium sequitur. Nam benivola de loco amico respiciens, multiplicat bona; de inimico, pauca confert.

Considerandus etiam respectus malivolarum simul et ea que multa anni legat testimonia. Inter quas si oppositio fuerit, plena est inimicitia; si tetragonus, parvum odium. Quod si Lunam vel ex parte anni aliquam ex opposito respiciat, mali signum est; que si sit in summo, erit malum apparens. Cum autem dominus orientis in septimo fuerit, litium est signum; similiter Luna dominum orientis ex opposito respiciens. Quociens in atahuvil stelle in odioso fuerint respectu et in locis adversis, generale mali signum est. Cum autem hoc contrario et contraria protendunt. Item cum in atahuvil malivola confert malivole: omnino malum;
si autem malivola benivole: malum mutabitur in bonum; si beni-
vola benivole: omnino/ bnum; cum vero benivola malivole: bonum 112rs
mutabitur in malum.

Post hoc respiciendus Mars, et in qua parte fuerit, in ea erit malum. Quociens autem anni dominus de benivolis fuerit nec Marte respectus, pacem componit et concordiam. Sciendum quoque quando Luna aut orientis dominus fuerit sub Sole alham et algam significat. Idem facit qui colligit ducis consilium si ipse garbi sub Sole fuerit.

Cognoscenda quoque natura domini anni quodque in humana possideat natura. Cum igitur hic corruptus fuerit, possessio et proprietas eius nature corrumpitur et hoc contrario.

Et sciendum quando oriens anni firmum fuerit, firma est eius significatio; si vero mobile, levis; si bicorporeum, inter utrumque.

Oriens igitur cum fuerit dux, boni vel mali id consequitur is qui fuerit in eius atahuvil sub ipso natus, iuxta naturam stelle et proprietatem in hominibus. Utpote de Mercurio qui sapientibus et artificiis preest; acque ad hunc modum de ceteris. Hoc quoque quando Mars sub Sole, multam bellis inserit fraudem: qui si fuerit ascendens, erunt bella cum frequenti perturbatione; si vero descendens, cum magna pernicie. Itaque quecumque stella sub sole iuxta statum eius de proprietatibus ipsius erit iudicandum.

Cum igitur aliquod infortunium in cardine terre fuerit, terrarum corruptionem significat eruntque bella multa per insidias et ex inproviso multeque obsidiones; quecumque eius stelle fuerint ex maxima parte peribunt. Similiter si adusta ibidem fuerit quartumque eius sit prefectura, prefectum inter eius gentes gladio periturum significat. Si vero in quarto non fuerit, in sua tamen prefectura, non occidetur quidem ille augustiis gravibus tamen angebitur. Quam vel si benivole respiciant simile tum ferunt iudicium, si vero malivole, periculum est mortis. Quod si pariter et hee et ille respiciant, que fortiores fuerint iudicium mandant; que si equales fuerint, angustiis quidem afficietur, evadet tamen

si illa in domo vel prefectura sua fuerit; si non fuerit, nec evadet.

Quociens igitur in quarto stella depressa vel ad·· ta aut infelix fuerit, signum est in nativitate vel in genecia ·..l in fatidica mortis,in atahuvil tribulationis.

Cum autem atahuvil die fuerit, Sol consulendus est; nocte vero, Luna: cui videlicet applicet inter utrumque stellarum genus. Si ergo nocte fiat et Luna corrupta Saturno benivolis aversis multos et graves nunciat morbos. Cum vero oriens quartum fuerit a Saturno et Luna cum ipso non erit valide mortis furor. Si vero Venus corrupta fuerit licet Luna salva, malum est mulieribus; quod si Mercurius, mercatoribus. Si autem die fiat et Iupiter corruptus, magnatibus periculosum est. Luna vero si firma et in loco testante ipsi, resistit malo.

Zahmazada quoque applicans cum benivolis, malivolis aversis,/ 112b
vel Iupiter sit cum ipsa, optimam omnium vitam confirmat. Quod si zahmazada inprosper fuerit, Luna adversa, Mercurio corrupto, corruptionem et angustiam rerum significat.

Firmam autem dicimus stellam quociens in aliqua dignitate sua similiter in quolibet sit loco respecta a domino suo. Item quando orientalis est et extra adustionem. Firma quoque quando cum Sole in eodem gradu reperitur quem zamim dicunt--id est de corde eius--idque de omnibus ita.

Quotiens Mars in 12°, Saturnus in sexto: ultimum vel maximum postremum fere periculum est in eorum regionibus.

Saturnus quoque in 12° magisque in Aquario et die, Mars autem in sexto a Sole respecti, orienti simul et occidenti ingerunt. Iupiter autem in Tauro amboque predicti de loco inimico eum respiciant, universi dampnum est orbis; Luna vero opposita, Iovi adusto et a predictis circumdato: omnibus dampnosum magisque nocte et Luna sic posita anni dominus fuerit, tanto deterius.

Cum autem Saturnus in fine Aquarii in atahuvil repertus fuerit altas per orbem aquarum inundaciones producit. Si vero Iupiter in domo Lune ab ipsa respectus Sole adverso, aut Venus et Mercurius ipsam respiciunt, aut Venus in fine Aquarii cum Saturno, Mercurius vero in Piscibus eluviones per orbem inducunt.

Si vero Saturnus in oriente a Luna ex opposito respectus radiumque eius Mercurius senciat, Mars autem et Luna in gradibus muellema--id est obscuris--magisque nocte, qui nascuntur sub ea ita sita et corrupta, demoniacos fore astrologi asserunt.

Deinde consideranda loca ducis principum simul et ducis gencium nec non et domini anni, dominique orientis acque Solis. Si ergo dominus orientis et dux gencium infortunati fuerint, valde gentibus perniciosum. Sol autem si corruptus fuerit, potentibus dampnosum peiusque si dux eorum pariter fuerit corruptus.

Notandum quoque signum in quo dux infirmitatum repertus sit si sit masculinum vel femininum, sic quoque signum in quo zahmazada inventa fuerit. Que si sint masculina, mares infirmitatibus afficientur; si feminea, feminis adversantur in eorum

videlicet mundi partibus. Natura quoque signorum simul et proprietas eorum in humano corpore genus infirmitatum et locus in corpore demonstrat. Si autem dominus orientis corruptus, Solque inter Saturnum et Martem, Iove averso et retrogrado, Venus autem exul in oriente sub Sole, tunc Sol quasi inter ignem et aquas male sanus. Si autem alter eorum anni dominus alter quarte princeps existat, omnibus quidem timendum, periculosissimum tamen principibus.

Inter loca vero circuli de eis que in cardinibus inveniuntur iudicia semper sumenda. Mars autem in nono bellum mortalibus indicit magisque in loco averso. Quotiens autem/ summum infor- 112vs tunio corrumpitur dominusque eius in loco adverso, principibus et prelatis extreme signum est iniquitatis. Quartum autem pro gentibus eodem modo consulimus.

Omnis autem stella retrograda suis mali signum. Que si fuerit Mars, armis invadentur; qui si sit in Scorpione aut Ariete, victoriam suis confert; cum quo si cauda fuerit, valde timendum; si vero caput, multorum exaltacionem significat. Cum quo si Saturnus fuerit vel eum inimice respexerit, multas inimicias et prevalentem iniquitatem.

Cum autem Saturnus orientis dominus fuerit infelix a Marte retrogrado, suis morborum et necis signum est. Si vero Mars orientis dominus, bellum indicit; quem si benivole respexerint, malo resistunt.

Sol quoque maczufa Saturno et Marte respectus in Ariete aut Sagitario cum cauda, indignatione quadam orbem in bella movet.

Cum autem anni dominus fortunatus aut benivolis respectus, licet dominus climatis corruptus sit, boni tamen nuncium est.

Sciendum vero quoniam nec benivole infortunium fieri possunt nec malivole naturam ominis boni contrahere queunt. Sed benivole corrumpi, malivole beari quodam modo paciuntur. Cautissime autem inter hec metiendum oriens anni, quotum sit ab oriente elkiren--id est constellacionis--quod, cum absolute profertur, etiam Iovis et Saturni conventum significat, natura quoque utriusque consideranda, simul etiam quas vel tempore elkiren stellas habuerunt vel tempore atahuvil habeant. Si ergo vel eclipsis vel alia adversitas quando fit atahuvil in decimo ab oriente elkiren invenitur is annus regi periculosus est. Sique id signum aquaticum fuerit, navigiis pariter timendum, sicque in ceteris iuxta naturam eorum. Quod si oriens elkiren signum aquaticum sit et infortuniis possessum, erit pernicies in vulgo et in aquaticis; quod si sit muliki--id est principale--principibus adversatur. Sic etiam loca superiorum stellarum notanda in utroque tempore. Nam quodlibet elkiren alhotha--id est gubernaculum--est viginti annorum.

Quociens igitur in atahuvil timendum aliquid occurrit, confugiendum erit ad alkiren. Sique illic prosperitas inventa fuerit, mutabitur adversitas atahuvil; quod si forte utrimque equa sit

adversitas victa celi benignitate infortunia terras dampnabunt.

Diligentissime quoque persequendum quod Arabes astrologi in libris atahuvil certissimum scribunt alenthie, adazir atale men al-mazal fi atahuvil, quod est: "quousque applicet circuitus orientis cuiusque inquisitionis in atahuvil," locus quoque eius anni domini; simul etiam quo applicet circuitus gradus elkiren, quo sta / tu sese gerant stelle, locus quoque eius anni domini. Horum 112vd
igitur collectis consiliis certissima rerum veniunt iudicia.

Deinde dominus orientis si aduritur in cardine, gentibus adversatur, Si in summo regibus, et principibus. Nam si Sol pariter summi sit dominus, gentes vim principum sencient. Si autem in septimo sit adustus, controversias infert. Nam si in quarto, dempsam mortalitatem. Et si illud oriens masculum sit, in mares; si femineum, in feminas irruit. Ac si orientis dominus Mercurius sit, pueros flebit; si vero Venus aut Luna mulierum fata lugebit. Si tamen in oriente ipso aduruntur, levius erit malum.

Consideranda ergo natura orientis. Quod si sit terreum, interram malum decidet, et sic per cetera, iuxta naturam celestium, inferiorum accidencia metieris.

Deinde inter quatuor mobilia videndum est si que stella sit in prefectura sua, iudicandumque erit gentibus frugi prelatos fore magisque si Saturnus fuerit et in loco receptus; nec minus Iupiter; et in omnibus ita si in eisdem locis recepti sint invicem. Nam si sit stella in prefectura Mercurii recepta cum ipso, idem

quod predicte iudicium legat. Cum autem alestima Solis fuerit, videndum si que sit stella in gradu eius prefecture; ipsius enim stelle partibus dampnosum esse solet.

Quando vero Mars retrogradus fuerit in prefectura Saturni, eius climati adversum. Cum quo si Saturnus pariter in Libra retrogradus fuerit, in mundo bella movent et moram tenent quousque alia interveniens mutet consilium.

Notandum quoque quando Sol in 19 Arietis gradu fuerit qua ratione sese ad ipsum habeant stelle, quotoque ipso sit loco ab oriente proque reperto habitu indicandum. Sicque de ceteris ut dictum est stellis. Nam quelibet in eis locis suum indicat clima. Que si sint retrograde, nichil sperandum ferunt; quas si simul benivole et malivole respexerint, primo quidem controversias generant, deinde ad meliorem finem spectant. Hoc quoque quoniam si hic stellarum respectus de signis firmis sit, pauca significat mala et in uno loco aliquo; si vero de bicorporeis, late spargentur; sin autem de mobilibus, frequenciam mali nunciat ipsis stellarum partibus. Que si sint retrograde, controversias augent; si vero stantes, utrique hominum sexui perniciosum.

Reges quoque et prelati climatum pro consiliis stellarum que eis presunt variantur. Inter climata vero medium semper, id est quartum, primum consideratur, inde in cetera vertitur iudicium. Solem autem et Saturnum simulque summi dominum cetere sequuntur stelle. Inter hos itaque qui firmior fuerit

ducatum quarti climatis obtinebit, et fortasse dux inventus erit; pariter summi orientisque dominus.

Quociens igitur anni dominium Sol optinuerit summique dominus in adustione, mortem magni regis et plerumquequar /ti 113rs climatis parat. Si vero ea stella iam prope exivit necdum cum apparet Sol, ipse cum anni dominio et regis ducatum obtinebit.

Quando vero in rebus humanis ut frequenter fit contingit gentes in regem consurgere novique principatum parare, primum oriens anni eiusque dominus simul et Luna in ducatum plebis constituentur. Secundum autem eiusque dominus plebis adiutoribus preficietur; septimo autem eiusque domino stellisque, si que sint in eo, eorum inimici committuntur, ottavo vero eiusque domino eorundem adiutores; summi autem eiusque domini custodie rex ipse mandatur; undecimo vero dominoque eius clientela, facultates et adminicula. Imum autem, summi videlicet oppositum, eiusque dominus regis novi ducatum suscipit ab hoc, sed res et facultates novi tuetur. Inter hec in quamque partem infortunia ceciderint, facilem iudiciis viam prebent.

### Judicium de stellis secundum atahuvil et elkiren

Inventis regum et principum qua dictum est ratione ducibus variaque fatorum per orbem sorte iuxta stellarum motus acque status subtiliter discreta, deinde consurgencium in mundi sceptra,

bellorumque eventus astrologi assumit speculacio.

Primum itaque sciendum quoniam summum inter planetas iudicem sibi posuit deus Saturnum ipsique pro dati celsitudine Solii summates humani generis ducendas commisit. Optimo autem Iovi rectissimum iusticie tenorem in orbem mandavit. Rerum enim argumentum certissimum quoniam inter homines plane quidem novimus omnes in quemcumque dignitatis gradum surgentes primo semper iusticie et bonitatis promptos, mox ubi Saturni Iovisque coierit <u>elkiren</u>, utpote Saturni fraudulenta superante violentia, corrumpi et perverti.

Superiores ergo tres stelle iuxta gradus suos quibusdam hominum ordinibus respondent. Saturnus enim regum gerit principium, [illegible]iter prelatorum, Mars utriusque satellitum. Inferiores autem mulierum et negociorum mercature curam gerunt, feruntque superioribus efficacie rerum consilia.

Quociens igitur aliquis in regem surrexerit regisque constellacio firma fuerit, regi parat victoriam. Notandum quoque duplices stellarum itus. Alter enim est quando aliqua super aliam est in circulo, alter quando radiis suis aliam obumbrat. Itaque surgente quolibet ut dictum est; itus acque status Iovis et Saturni eius anni firmandi erunt. Inter quos ergo si Mars fuerit, in eius partem vergit adversitas peiusque si retrogradus ipse sive alter eorum. Qui ergo in <u>elkiren</u> <u>muztali</u> fuerit super alterum

eius, cui si Mars faverit tanto fortior. Et si Saturnus ac Iupiter tetragono aut opposito se respexerint firmum est surgentis malum; si vero pentagono aut trigono, minus est malum.

Quod si Mars a Saturno ad Iovem accedit, regis prodit iniuriam; qui si converso a Iove ad Saturnum, sur / gentis auda- 113rd
ciam ostendit. Notanda quoque utriusque separacio; in qua si Mars a Iove ad Saturnum applicat, iusticiam mandat; si vero idem Mars non a Iove veniens sed undecumque cum Saturno applicat, iusticiam infringit. Qui si a Saturno ad Iovem accedit, malum est principibus. Cum autem Mars non respicit ipsos convenientes, qui muztali fuerit super alterum is obtinebit; qui si ambo equales fuerint, equum in terris firmat.

In omni vero bellorum providencia a quo inter eosdem Mars recedat et ad quem applicet principaliter spectat. Inter quos si Mars inventus non fuerit nec eos respexerit, tamquam minus credito delatore arma reponunt. Quociens autem inter eos respicientes Mars retrogradus fuerit, cum ad alterum applicuerit, ea est bellorum turbinis hora. Presertim vero previdendus annus in quo Mars in Tauro retrogradus fuerit: is enim plurimum timendus. In quo vero anno sive mense Mars cum Saturno receptus fuerit quasi quodam ex gaudio recepte societatis litium perturbationem differunt. Nam et si sit propositum bellum Saturnusque receptus, quietem mandat; non receptus autem iras et odia miscet.

Quociens autem adazir--id est circuitus--Martis ad eum

locum applicat in quo fuerit proximum *elkiren*, perturbacionem rerum movet; similiter quociens in *atahuvil* in cardine receptus fuerit. Nec aliter in tetragono Saturni sive in respectu loci in quo fuerit *elkiren* opposito sive tetragonali et ipse retrogradus vel Saturnus similiter eodem respiciens.

Notandum quoque quociens superiores stelle in *atahuvil* retrograde inveniuntur, malum est usque ad $2^{am}$ earum stacionem.

In annis ergo quibus superior potencia bella minatur lumina consulenda erunt. Notandusque erit qualiscumque eorum status quem videlicet cum utroque stellarum habeant genere cuive suum ferant consilium. Si ergo in oppositione aut tetragono Solis infortunium fuerit regibus timendum est. Qui si sit Mars die et in signo mobili, consurgent qui regibus arma ingerant ex parte videlicet Marcii signi. Si vero Saturnus morbis et rerum amissione reges afficit. Nam si benivolis respectus fuerit Sol, regum et principum salutem tuetur. Ad hunc igitur modum in *atahuvil* pro regibus Solis status respondet.

Omnia fere que timenda in *atahuvil* occurrunt prenunciata opinor. Nunc qua hora quelibet accidere debeant providendum est.

## De horis eventuum

Omnium variacionum in rebus is qui in <u>atahuvil</u> malorum dux repertus fuerit certissimum ponit inicium. Si enim rectus est in <u>atahuvil</u>, ubi primo retrogradari ceperit, ea est malorum hora; et econverso similiter si retrogradus ad directionem. Nam et tunc variaciones rerum iniciantur cum idem dux radiis suis dominum summi tetigerit; aut si in <u>atahuvil</u> orientalis fuerit dux, ubi primum occidentalis fuerit / ea est hora et similiter 113vs
econverso. Nam si fuerit Mars occidentalis, validissima in opposito gradus primi ponit inicia. Quicumque vero dux orientalis fuerit omnia accelerat; et similiter cum fuerit inter oriens et summum. Ea quoque rerum est hora cum Sol aut ad ipsum pervenerit signum ubi dux est, aut ad eius aliquem respectum firmum. Frequenter etiam Luna cum eodem duce applicante rerum prodeunt inicia: que cum vel in tetragono eiusdem fuerit, nonnunquam stelle propositum iniciat; similiter et Sol. Si vero dux in <u>atahuvil</u> retrogradus fuit nisi postquam directus fuerit ad eundem gradum pervenerit si luminum aliquo respicitur institutum inchoat. Si ergo benivole eo respiciant malo resistent. Nam si dux occidentalis fuerit, cum Sol ad eius signum aut signi oppositum pervenerit, ea est hora.

Sciendum quoque quia Mars ut est colericus et impetuosus nec usque ad tempus furorem suum sustinere potest; Saturnus

autem melancolicus et piger, licet tardius quodlibet aggrediatur, pertinacie tamen invericondus. Quociens itaque Mars bellorum anni dux repertus fuerit, ubi primum Sol ad id pervenerit signum, illis est instituti inicium. Finis autem cum primum eandem domum benivole radii tetigerint. Videndum quoque si dux in signo firmo fuerit, tarditate rerum tenebitur; si in mobili, propositum accelerat; in bicorpore vero, mediocris tarditatis.

Denique si infortuniorum alterum anni, alterum quarte dominium possiderit, perturbaciones rerum in ea quarta prodibunt. Similiter si dominus quarte dominum anni inimice respexerit aut oriens anni. Eodem modo Mars si fuerit in primo signi decano in prima anni tercia Martis veniet effectus; si in secundo, in secunda et similiter in tercio. Idem si fuerit in signo mobili, primicias anni corrumpit; in bicorporeo, medium anni intercipit; in firmo, usque in finem anni natura loci ardores ire sustinere cogitur. Intuendum etiam ubi sit Lune dominus proque modo status utriusque rerum eventus prenunciandi.

In regis autem electione Saturni locus notatur in quo sit et ab oriente et a Luna. Quociens igitur infortunium vel in signo climatis vel in eius opposito retrograditur, perniciosum ipsi climati. Verbi gratia: Arabum climati Mars in Tauro sive Scorpione retrogradus; Persarum finibus idem in Leone aut in Aquario. Romanis in Ariete aut in Libra. Indis in Capricorno aut in Cancro. Similiter Saturnus in eisdem retrogradus earundem partibus

adversatur nisi quod aliquanto Marte levior Saturnus invenitur.

Item Mars quociens in cuiuslibet hominis signo eiusve opposito retrograditur, si Luna simul cum ipso sit, dampnosum eis, peiusque Sole averso. Nam cum et Sol acque Saturnus cum Marte iunguntur vel eum opposito respiciunt timendum. Multo vero Mars orientalis in omni adversitate vehemencior. Saturnus autem occidentalis magis timetur.

Ad hec omnia concurrunt / locus alestima vel izticbel, simul 113vd
et Sol ac Luna quoquo modo sese cum illis habeant, Sol videlicet cum Saturno, Luna cum Marte.

De spacio bellorum

Prescriptis itaque bellorum iniciis consequens est ut eorundem finem meciamur. Cum ergo videndum fuerit spacium malorum, consulenda erit infortunii auctoritas in quo eorum causa inventa fuerit. Quod si sit in signo firmo et atahuvil die fiat, Solque in tardiore cursu suo; si vero nocte fiat atahuvil, et Luna decrescens, bella eius anni usque ad alterius stelle dominium perdurabunt. Sin autem infortunium predictum in signo mobili fuerit dominusque eius in simili, lumina quoque sive saltem alterum eorum finem malorum accelerant. At vero si in bicorporeis, que dicta sunt fuerint, quale est bicorpor inter mobile et firmum, talis eius significacio. Deinde intuendum si infortunium

in cardine fuerit, maiores tribuit annos. Si post cardinem medios. Si in remoto minores. Notandum quoque que ipsum adiuvant, predictisque annis iuvancium dono adiuncto,quot omnes excreverint anni,tot erunt dies rerum spacii. Si ergo infortunium dominus eius sive signi sive prefecture aut cuiuslibet sequencium respexerit, habebit pars eius familiares et domesticos adiutores. Itaque pro celeritate sive tarditate rerum infortunia consuluntur, signorumque in quibus fuerint natura. Sed etiam zehmein--id est Saturnus et Iupiter; qui si fuerint orientales, rerum accelerant finem eis precipue qui Marcii fuerint climatis. Quod si zehmein batie fuerint, spacia producunt. Eorundem quoque loca in diversis ut predictum est signis notanda. Martis autem atasric pro victoria cui danda sit consulitur. Est autem atasric Martis a decimo Tauri gradu usque ad decimum Leonis, indeque usque ad decimum Alacrab. Hinc autem usque ad decimum Aquarii, eiusdem atagrib, indeque item usque ad decimum Tauri, sicque de ceteris. Itaque dum Mars in atasric fuerit, orientalibus triumphum confert; in atagrib, occidentalibus; sicque in ceteris mundi partibus. Quem si lumina vel conventu vel respectu iuverint, forcior efficitur; quod si non iuverint lumina, respicienda erunt loca dominorum Solis et Lune, qui in qua parte celi fuerint ea pars terrarum optinebit. Et si fuerint in summo, pacem firmant. Saturnus quoque respiciendus; qui si Lune infelici confert, summopere ab omni fere bellico negocio cavendum. Qui si item retrogradus aut stans fuerit,

similiter. Nam in signo femineo aut termino femineo violencior in omni potencie sue malo. Hic itaque cum primum cessare ceperit, morte afficit.

## Iudicia iuxta conventus stellarum

Hactenus varii stellarum motus et status diversis mundi responderunt accidentibus; deinceps iuxta conventus astrorum que Arabes <u>elkiren</u> nos constellationes dicimus rerum alteraciones investigande. Cum itaque Venus et Iupiter in aliqua quarta in Scorpione simul inventi fuerint, anni vero dominus Mars, in terris Meso /potamie graves nunciant infirmitates, bella tum quietem 114rs
inperat. In eodem si Sol et Saturnus iuncti fuerint, populum Romanum eiusque clima seditionibus miscebunt, Iove tamen ac Venere aversis. Quos si Iupiter respexerit, dissensiones quidem ipsi movebunt. Iupiter tamen arma reprimet. Mars autem et Mercurius cum in Ariete eiusve ternario conveniunt, Babiloniis morbos, cladem gravemque minantur famem. Cum quibus tum si Iupiter misceatur pro vi sua Marcie resistet crudelitati: nam et Mercurium in partem suam convertet, mox enim Mercurio, ut quam levissimus est, facillime in quamlibet concedat partem.

Luminum quoque in eodem signo conventus--qui proprie dicitur <u>alestima</u>--si alter eorum pariter anni dominium ducit Ismaelitis Sirie partibus gravissimus. Iupiter tum si mixtus

fuerit familiarem placat febum. Solis autem et Martis in primo solaris domicilii gradu colloquium, regibus et principibus iracondiam atque atrocitatem suadet. Item Iovis atque Veneris coitus ut ipsorum pariter et anni sit dominium,Marte autem averso,multa connubiis gaudia promittit. Et si Saturnus pariter cum Iove mixtus dona quidem illorum firmat sed saluti eorum invidet. Quod si Mars immixtus fuerit divorciis coniugii gaudet.

## De astart 5 stellarum

Omnis stella sub Sole debilitatur, orientalis autem firmior efficitur. Itaque Venus orientalis Iovi coniuncta, saluberrima orientalibus. In cuius tetragono si Saturnus fuerit reges orientalium perverso coniugii zelo et suspectione vexabit. Si vero et Mars ita site Veneri iungatur equestri salutiferum ordini. Quos si ita Saturnus retrogrado respexerit, illis obest,Tyrios autem confortat. Si vero Saturnum iunctum Veneri Mars tetragono respexerit regibus orientalium adversatur. Cum qua si Mercurius fuerit,Iupiter autem tetragono respiciat, scribis et prelatis gaudium et inimicie vindictam conferunt. Si vero Mars ita respiciat, vim illis infert. Quod si Venus pariter cum Mercurio a Marte coniuncto corrupta, scribarum adversitatem notant. Iupiter autem et Mercurius orientales, simul scribarum et prelatorum generi salubres; quos si Saturnus tetragono respexerit, opes illis de absconditis venient.

Mars enim si cum Saturno fuerit in signo, consilii discooperientur abscondita. Quum vero Mars et Iupiter simul conveniunt, sublimabuntur indignitates mali cordis bonum habitu simulantes. In quorum tetragono si Saturnus fuerit per multum tempus huiusce iniquitatem deducet.

Cum autem Saturnus Iupiter et Mercurius orientales simul a Marte tetragono respiciuntur, orientalibus adversum. At cum Venus et Iupiter orientales fuerint, omnibus prosperum et salubre.

## Iudicia per stellas fixas

Superiores libri partes planetarum vires et effectus per universum orbem sequuntur; nunc earum que fixe dicuntur--quas
Arabes <u>tebiten</u> vocant / --eo quod in his iudicia assumuntur, po- 114rd
tencia perscrutanda.

Igitur in Arietis septimo gradu de fixis quedam est cum qua si Mars in atahuvil iunctus et retrogradus inveniatur, orientalium regi mortem minatur. Persarum finibus bellum indicit. Saturnus autem cum ibidem fuerit, regibus adversatur, auras exsiccat. Nam et caput ibidem similiter. Mars autem et Saturnus cum cauda ibidem, omnia fere contaminant.

In Tauri vero 13° alias qua si Mars retrogradus reperitur, septemtrionalium regem necat, Persarum climati bellum indicit. Saturnus autem in eodem gradu frigus astringit, montana

corrumpit consurgentque non profecturi. Cum quo si cauda fuerit malum adauget.

Post Taurum autem in Geminis in 5 gradu stella cui nomen kelbaliebar in qua cum fuerit Mars retrogradus utrumque mundi verticem armis premet. Saturnus cum cauda mortem potentum parat.

In Virginis 25 gradu cum qua Saturnus retrogradus malos et nequam homines effert, bonis et presertim orientalibus insidiatur. Mars autem ibidem Persarum principes necat, septemtrionalium prosperitatem patitur; cum quo si cauda fuerit, tanto peius.

Inter postremum Virginis et primum Libre sub qua dum Mars retrograditur animalia necat, opes dissipat. Saturnus autem reges cupiditate et avaricia astringit, suspicione vexat, septemtrionales tamen firmat; cum quo si cauda fuerit, deterius.

In Scorpionis 28 sub qua Mars retrogradus animalibus et germinibus nocet, auras siccitate, homines ventris dolore afficit. Saturnus autem frigus astringit, ventos agit, lumbis indulget et presertim in occidente.

In Piscium 18 stella sub qua Mars retrogradus maritimis Persie et Indie adolescentulis utriusque sexus ipsius adversatur. Saturnus autem terre motu et tonitru terret, lumbis indulget, naufragiis gaudet, aquaticis omnibus nocet. Cauda vicina malum adauget.

Iudicia per cometas

Cometas quoque in iudicia seculi assumunt astrologi. Sunt autem comete undecim numero; corpora celestia quibus propter longos tractus a coma nomen apud nos. Nam apud Arabes qui est addeweib--non enim sunt ut cetere stelle globose et rotonde quas sapiens rerum factor Solis familiam constituit--ideoque semper sub Sole radiis eius tamquam secratarie ipsius in eiusdem abditis obumbrate; rarissime, nec nisi certis rerum iudiciis, licet in incertis temporibus apparent. Ex apparitione tame, quamvis rara et incerta, indagatrix vetustas et numerum et effectus earum deprehendit. Ac pro ratione deprehensa, et nomina imposuit.

Cum igitur alique earum apparent sive in eclipsi sive extra, in marciam et mercurialem sepius apparent naturam in controversiam videlicet et prelia. Itaque in partem earum astrologi vertetur intuitus; que si altissime fuerint, erunt in medio Saturni et Lune. Si vero nec adeo sublimes nec infime fuerint erit / iter 114vs earum in medio Iovis et Mercurii. Ac si infime feruntur, erunt medie inter Venerem et Martem, fere scilicet in regione solaris globi.

Videndum igitur in quo signo apparent, ubi quoque sit dominus eius ac qualiter, et signum et dominum utrumque stellarum genus respiciat. Si ergo in signo regum et principum apparuerit

dominusque firme ipsum respiciat, de regia stirpe consurgent in regiam dignitatem. Si vero dominus eius aversus fuerit, de inferiore principum ordine principatus aggredientur. Atque ad hunc modum cetera signa prosequenda.

•Sciendum autem quod Solis domicilium simul et Iovis acque Martis principum prosapie ducatum prebent. Saturnus autem nominatis viris preest et excellentibus; domicilium autem Lune inferius mercurialibus invenitur. Veneris quoque minora marciis.

Locum autem in terris ubi predicta futura sint dominus quarti a signo comete monstrat, tempus autem ipsemet: nam si fuerint orientales rem accelerant, occidentales namque tardiores esse solent. Spacium vero ex ipsarum in apparendo mora. De hiis igitur Indorum omnis hominum sapientie principum clarissima in ceteras mundi partes descendit auctoritas.

Cum enim in Ariete apparent ex parte orientis, Romanorum climati bellum inducunt, casum minantur remque omnem propemodum ut ab hodie ad cras accelerant.

Sin autem in Tauro et in oriente, ex quatuor mundi partibus factum in reges et principes agitant; que omnia germina simul cum hominibus dampnant, volatilibus etiam nocent, universamque mortalitatem afficiunt, maiorique rerum concusioni astrologos decipiunt, astronomie veritatem perturbant. Que si ita 51 dies apparuerint significatio earum septem agitabit annos.

Ac si in Geminis ex parte occidentis per undecim annos

universum orbem plena rerum affluencia, firma salute, multaque alacritate deducunt.

Cum autem in Cancro, lumbis indulgent maximumque septemtrionalibus regem preficit.

In Leone vero, sive orientales sive occidentales, vel propter signi fervorem quam flammeam post se ducunt caudam, universoque timende orbi. Deprehensum autem eas in Leone non plus novem apparere diebus.

Ac vero in Virgine tamquam ex quadam solaris cancellarii violencia (reverencia), omnibus germinum generibús salubres, mercature quoque negociis prospere.

Cum autem in Libra et orientem versus, mulierum continenciam simul cum castitate pervertentes prostibulo plurimas exponunt. Conceptusque frequenter in abortum reiciuntur, principibus tamen gaudia ferunt nisi quod meridianis adversantur. Hic autem vel tridua tantum apparicione contente sunt.

In Scorpione vero cum ad meridiem apparent apostematum et prurignis putredine vexant; 15 autem diebus humanos trahunt visus.

In Sagittario quoque meridiane sive orientales, iumentorum copiam generant; 30 vero diebus / extra Solis penetralia spaciuntur. 114vd

Est in Capricorno, et eos que sunt principes firmant et que non sunt in principatum efferunt; perturbationem tamen in orientem vertentes per Asie partes superiores arma miscebunt.

In Aquario vero penitus controversiis et lite orientem movent

simulque cum septemtrione tandem succubituro bellis permiscent; rerum autem huiuscemodi fluctuationem triennio ducant,41 diebus cladem humanis visibus exponentes.

Denique cum in Piscibus orientalibus item controversandi signa preferunt rerumque signo astra ipsa quodam modo tremore videbuntur ut vel ex hoc tremore rupte terrarum caverne abscondita auris patefaciant valideque nubium impulsus celum frangere videantur. Ac scisso nimbis et herevina, ut ipse Fatidicus assert, quedam animalia decidant.

Hee sunt comete que velud scintille a solis flammante prosilientes camino terribilia mundo prodigia pariunt continuaque adustione tamquam in conum acuuntur. Que si semper cum Sole non essent, nec eum plus ceteris radiare posse nonnulli opinantur.

In omnibus autem astronomie iudiciis facillime surreperit fallacia. Si videlicet in respectibus stellarum que nostros ducunt intuitus non eque latitudo ut longitudo status earum diligenter observatur--distancium etenim trigono aliove quolibet modo stellarum nonnunquam alia septemtrionalis alia fertur australis; contingit itaque quod sepius ut licet in longo simulent amicitiam in lato fere opposite sint. Necesse est igitur astrorum statu confuso astrologum quoque perturbari.

## De divisione circuli in partes stellarum

Quoniam fatidica divisio mundi partibus respondere consuevit restat ut qualiter mundi partes suis stellarum dominiis antiquitas distribuerit, ut undique providus incedat astrologus exponamus.

In primis igitur omnem mundum in tres diviserunt partes easque iuxta situs et nature congruitatem inter stellas superiores earumque partidpes inferiores distribuentes;que longissime a medio mundo distabat eam primum Saturno qui similiter a Sole medio distat ditaverunt; Lunam vero propter eandum et situs et nature similitudinem participem eius posuerunt. Nam circulorum similitudinem et mobilia utriusque domicilia firmant. Hec autem pars sunt extrema duo climata. Homines autem eius partis naturam Saturni et Lune sequentes ebetis ingenii, coloris candidi, et domino suo nequaquam contradicunt.

Mediam autem partem ad situm item et nature temperanciam optimo Iovi et perspicatissimo Mercurio propter eandum in circulis ac domibus paritatem divinitus commissam moribus et statu simulque studiis ipsorum hominum a parte probaverunt.

Terciam vero partem, que proxime ad medium spectat quemadmodum sunt primo duo prima climata, proximis circa Solem Marti Venerique pro eadem similitudine dicantes, ipsorum hominum / 115ra
testimonia confirmationi rerum asciverunt. Sunt enim et Martis colore tincti et Veneri nimium concedentes.

Post hoc quatuor circuli ternariis per quatuor cardines mundum omnem per ordinem distribuerunt.

Deinde mondum item omnem in septem climata distribuentes totidem planetarum circulis secundum ordinem ut a summo circulo et primo climate incipiat locaverunt. Demum omnis regionis sive civitatis eius oriens horeque dominus non minimam in iudiciis partem optinent; quas ex diversorum commentis hic noster non adeo necessarie quam laboriose colligit: utpote Aries cum Iove Babiloniam occupavit. Saturnus cum Libra Romam. Mars cum Leone Tiriam. Sol cum Aquario Memfin. Venus con Scorpione Mediam. Mercurius con Capricorno Indiam. Luna cum Virgine Sciciam.

Postremo quoque mundum omnem in 360 gradus circuli, gradumque sexagena puncta sollers et indefessa geometrarum indagatio in longum et latum divisit. Que omnia prosequi longius esset quam utile; quapropter ad sequencia transeamus.

## Exempla iudiciorum

Omnium que dicta sunt ZAHEL per omnia 12 signa exempla ponit que si omnia scriberemus vel sponte prolixitati operam dare videremur. Igitur duo tantum que sufficere visa sunt elegimus. Nam in anno sui temporis cum in atahuvil oriens et cardines stellarumque loca firmaret. Erat oriens Capricornus, dominus eius Saturnus in decimo, scilicet prefectura sua, cum capite retrogradus. Iovis acque Solis consilia legens. Erat itaque Saturnus

anni dominus et dux gencium. Regis autem dux, videlicet decimi dominus aversus et sub Sole indicium equalis. Sol igitur ut erat in principatu suo conferens Saturno in decimi domino illata regis ducatum aufert. Luna vero cum Mercurio in tercio. Quoniam ergo Saturnus in principatu suo retrogradus Soli acque Marti oppositus visum est in iudiciis annum bellicosum et perturbatum fore, magisque in Babilonio climate.

Item in atahuvil anni erat oriens Aquarius in quo Venus et Luna nichil habentes illic testimonii, dominus autem orientis Saturnus retrogradus in 11 simul cum Marte. Saturnus ergo, quia familiarius respiciebat anni dominum, tum ducatu gencium obtinuit, decimi vero dominus aversus ab ipso nec receptus, Sol vero vim conferens Saturno. Visum est igitur eo anno gentem regibus manus iniecturam et infra sex menses propter gradus inter Martem et Saturnum. Frigus quoque multum futurum.

## De ventis et pluviis

Hactenus de variis hominum per totum anni tempus tribulationibus dissertum est. Deinceps menstruos et diurnos aurarum agitatus exequamur.

Ventos igitur et pluvias Arabum ita discriminat sentencia; ut ex vapore terre ventos, ex aquarum minutissimis guttis propter levitatem ascendentibus pluvias nivesque eliciant. Que quoniam

alterius sunt negocii, longius prosequi supervacuum est.

Illud autem / omittendum non est quoniam elementa omni- 115
no stellarum obediencia consilio ad quoslibet celestium affectus facile patent. Visa namque stellarum validissima in sensibili universitate potencia natura elementorum cum stellis concordiam percunctis necessariam ducit. Sunt igitur inter stellas que naturali affectu varias elementorum vires trahunt ut Saturnus frigus, Mars calorem, Luna humorem. Sol tamen quia omnium princeps est celestium in omnibus terrarum accidentibus privilegio quodam primus consulitur.

Cum itaque Sol principium Libre intrat, inventa sunt in eius <u>alwazat</u> 6 signa 2 gradus 9 puncta 45 secunda; in 19 Scorpionis in <u>alwazat</u> 7 19 3 21. Sol igitur et Mars ubicumque sint quia calidi sunt et sicci raris delecitantur pluviis. Cetere autem omnes sponte annuunt. Luna tamen inter omnes obtinuit quoniam et sua seorsum natura humoribus gaudet, et saturnalis licet opposito circuli respectu non minimum iuvatur. Siquidem et Saturnus humoris materiam gerit; qui quociens in loco connaturali, occidentalis et humiliatus fuerit, multis et intempestis indulget pluviis. Cum enim <in> alienis a natura sua locis orientalis et sublimatus fuerit, velud impotens sui cessare cogitur a pluviis, frigori tamen, si potest, indulget. Notandus ergo Saturni locus in huiusmodi iudiciis. Nam et Luna in Cancro eiusque ternario aquarum ducatum obtinet. Cum autem Mars in hiis fuerit locis detrimentum aquarum parat. Saturnus vero per eadem gradiens loca plurimum

aquis indulget. Mercurius autem et Sol foncium duces feruntur. Venus vero pluviis preest. Luna presertim in mari fluviisque potens. Iupiter autem cum Mercurio ventis imperat. Quicumque igitur occidentalis et humiliatus fuerit, in hoc ducatu potentior invenitur. Nam orientalis et sublimatus cum alibi pluris scilicet fortitudinis sit, hoc inde contrahitur. Sol autem et Mars vetant pluvias nisi sint in domo benivolarum in suis terminis permixti.

Igitur in hora atahuvil rectificatis stellis notandum erit si fuerint stelle in respectu sui dominii: quas si Luna iuverit, pluvias conducunt; a quibus si Luna decrescens aversa fuerit, negant. Quotiens item in atahuvil, sub Sole aut eius opposito fuerit celestem promittit humorem.

Similiter si complicent circuli Saturni sublimati et Lune humiliate vel econtrario, apertis videlicet utriusque sibi invicem circulorum portis, magisque Luna in Capricorno, Saturnus in Cancro, alter sublimatus alter humiliatus, Luna vero crescens in compoto, Luna quoque cum Venere orientali. Quod si Venus sublimata Luna vero humiliata sit, multo rore terre faciem aspergent. Si vero Saturnus retrogradus et Luna minuens in alchezib, multum frigus nubesque conglomerant, pluviis tamen parcendum existimant, licet nives insolito more coagulentur.

Item Saturnus stans in Cancro,/ Luna vero in Capricorno 115vs
at Piscibus, Scorpione, Libra sive Aquario, nives et nimbos equali

fundet impendio. Saturnus item in Aquario, Luna vero in Leone, et alter sublimatus; at quociens Luna humiliata fuerit in Leone, urne aquarii effluent. Item Saturnus et Luna humiliati, frigori et ventis indulgent, pluvias nive miscebunt. Sciendum vero quia Mercurii Iovisque circuli convexi sunt invicem. Nec enim inferiores sine superioribus multam ducunt potenciam. Similiter enim Martis acque Veneris intervexi sunt circuli.

Quum ergo in atahuvil Mars Lunam acque Venerem opposito respicit, nisi is respectus de Scorpione fiat, non vetabit pluvias. Cum autem Luna in Scorpione, Venus in Piscibus, ubi ipsam citius consequitur, in Pisce videlicet sive Scorpione sive Aquario, pluvias promittit.

Nam cum in Aquario fuerit similiter. In Ariete vero et Tauro raras dant pluvias. Item Luna in atahuvil Saturno aut Soli opposita pluvias impendit. Nam quarumcumque stellarum in Piscibus convertus pluviarum impendii signum est, utpote Venus et Luna aut Mercurius, Lunaque ipsos respiciat de Sagittario aut Scorpione aut Tauro sive Capricorno sive etiam opposito.

Videndum quoque qualiter Venus per circulum feratur. Que si fuerit in signo Solis et orientalis inter Virginem et Arietem, pluviarum impendii signum est quousque sub radios revertatur. Cum vero Sole in Libram intrante Venus orientalis integro signo destiterit, siccitatem quidem cum frigore notat donec ad tantumdem inter se et Solem revertatur; tunc iam pluviarum claustra resolvet. Cum autem in Arietem intrante Sole Venus minus uno

distiterit signo, in ea quarta pluviis indulget. Quociens Venere retrogradante Sol in Ariete aut Tauro fuerit, pluviosum scilicet tempus est in ea quarta; in ea vero qua Sol, ipsa retrograda, in Capricorno Aquario aut Piscibus fuerit, pluviarum sinus obstruit. Quociens Venus iniciante hyeme orientalis fuerit, principio hyemis celestem negat humorem, finem vero nimietate confundet. Eodem tempore si orientalis et retrograda fuerit, pluvias negat quousque ad Solem rervertatur et directa sustinet. Cum autem mediocriter incedens cum Sole sive post ipsum triginta gradibus fuerit, pluvias impendit nisi sit retrograda. Nam sic eas differt donec cum Sole in eodem signo conveniat respecta oriente atahuvil et duce, sive in signo humido. Mercurius quoque notandus: si enim retrogradus fuerit, usque ad directionem pluvias impendit.

Cum itaque sciendum fuerit quante future sint pluvie, oriens atahuvil dominusque eius nec non et termini eius dominus observandi, nec minus omnium eius dignitatum dominia, dominus quoque signi alestima vel izticbel, pariter et zahmazada eiusque dominus, lu/minum etiam termini dominia. Que si omnes in signis humidis 115vd aut applicantes cum stellis in signis humidis, validas pluviarum inundaciones per totum annum conducunt. Post hec intuendus multi parvive dux in suo itinere; qui si sit in mediocri cursu, mediocres facit pluvias; sin autem humiliatus, indulget, nam sublimatus coherect. Qui si sit tarde incedens, tardabit; si retrogradus, minuet.

Venus autem quociens Sole intrante Arietem orientalis fuerit rore multo terras humectabit. Sique simul cum Mercurio applicet, ventis et pluviis indulgebit. Et si pariter Mars Mercurium respiciat, tonitrus et fulgura miscet; si vero Saturnus, frigus, ventos et nubila quassat. Venus autem Martem respiciens fere idem quod Mercurius facit preter tantam vim ventorum. Deinde notandum cum quot stellis applicet: cum Venere Mercurio acque Iove, multas; Luna antequam in quo fuerit signum exeat que si applicet anni primo medio et fini promittit, si videlicet hii tres nulla adversitate impediantur. Que si cum una earum primo, deinde cum Marte applicet, primo pluvias profundet, deinde restringet. Presertim autem que firmior inventa fuerit stella notanda, et iuxta statum eius de pluviis iudicandum. Nam ducatum multi parvive ita discernimus. Quociens enim oriens atahuvil signum humidum fuerit dominusque in humido applicans cum Venere aut Mercurio, Luna quoque in signo humido applicans cum stella humida, ut Venere aut Mercurio, et Venere orientali, Sole in Arietem intrante, aut occidentali in Libram, si hoc inquam ita fuerit, multis testantur pluviis.

Deinde cognoscenda caloris testimonia utpote si oriens signum sit igneum dominusque eius in igneo, Luna quoque in simili pariter applicans cum ignea stella, ut Sole et Marte, aut in eorum sit locis; enus autem orientalis, Sole in Libram intrante, occidentalis in Arietem. Hec sunt itaque pluviarum raritatis testimonia.

Post hoc ergo benivole simul cum noxiis notande. Quociens igitur in cardinibus benigne a Luna et orientis domino respiciuntur, pluviarum donis annuunt. Quod si noxio ita sint, negant.

Quociens autem Luna in <u>atahuvil</u> cum cauda fuerit pluviarum detrimenta delet, magisque in signo igneo. Caput autem iuvat Lunam; Mercurius quoque et Venus in pentagono Saturni aut cardine eius si fuerit, quociens applicat cum ipsis, pluet. In quorum cardine si Mars fuerit, respice ad quam partem magis attingit Luna. Si ergo ad Venerem et Mercurium, quociens de cardine eos respexerit aut cum ipsis iungitur, pluet.

Deinde Mars intuendus qui si sit anni dominus, Saturno Venere et Mercurio ab ipso aversis, nubila quidem spissa validique tonitrus et fulgura omne celum pervolabunt, pluvias tamen paucas dabunt omnibus dampnosum aquaticis nisi forte Luna firma sit / et 116rs applicans cum Mercurio; pluviis tamen parvum adminiculum.

Post hec orientis dominum et quem habeat intuebere. Qui si sit Saturnus, nebulas et pruinam largitur. Si vero Iupiter et Marte corruptus, pluviarum detrimentum est. Si vero Mars ipse, omnem fere humorem negat; sin autem Sol, parvo minus.

Nam et Venus Marte corrupta Soleque adusta nubes quidem agitabit sed inefficaces. Ac vero Mercurius si fuerit et infelix, benignis scilicet aversis, in loco tamen firmo a Luna aversus, nubes multas validis conflabit ventis sed inefficaces.

De aurarum variacione in quartis anni

Qualiter in atahuvil anni varietates aurarum deprehendi possunt partim expositum est; nunc qua ratione per singulas anni quartas eadem fiat speculatio docendum opinor. Quartarum autem anni principaliter alestima et izticbel proximum ante Solis introitum in quodlibet signum conversivum providenciam prebent. Sciendum enim in quo termino fuerit illud, dominusque eius utrum sit orientalis an occidentalis, retrogradus an rectus, et omnino quidem virium habeat.

Si ergo is dominus Saturnus fuerit et adustus aut in oriente, ea quarta pluviosa est et nubilosa, et magis in Capricorno et Piscibus. Qui si sit occidentalis, id est in occidente, grandines et pruinas minatur. Sin autem orientalis turbidum reddit aerem et suaves pluvias frigusque multum addit etiam in aquis germinibus adversatur. Cum autem occidentalis aque decrescent nives augeguntur.

Ac si Iupiter termini dominus adustus sit aut occidentalis pluviis indulget. Si autem orientalis aut in oriente serenitatem mavult fructibusque et germinibus prodest. Et si sit in signis humidis piscium habundanciam promittit. Si vero in signo humano, infirmitatibus homines liberat. In Tauro vero aut Virgine arboribus bonus est.

At cum Mars termini dominus adustus fuerit, pluvias et nubila tollit. Qui si sit orientalis bellorum iudex existit, tonitrus et fulgura miscet.

Sin autem Venus termini domina fuerit orientalis serenitatem mavult; que si sit occidentalis, frigori et ventis indulget.

At si Mercurius termini dominus orientalis fuerit serenitate gaudet; sin autem occidentalis mediocris erit. Qui si sit adustus, ventis et frigori indulget et multo torrente ruet. Quod si sit in signo firmo, apud Memfiticam provinciam magis ea venient; si vero in signo mobili, in maritimis.

Quociens igitur alestima vel izticbel fuerit antequam Sol in signum mobile intret, notandum quomodo orientis dominus acque oppositi sese gerant acque respiciant, sique sit inter eos stella transferens ea ratione qua id in atahuvil mensium docebimus, scilicet in alestima luminum et izticbel, de domino scilicet orientis et septimi. Non autem aliud est opere.

Nam aquarum incrementa Saturnii sunt muneris. Quociens enim Saturnus a 25 Gemi / norum usque ad 25 Cancri 116rd
fuerit, aquarum grande facit impendium magisque fluviorum ut Tigris et Eufrates, qui solutis Croceratum Araris que nivibus extra alvei capacitatem intumescunt. Nam et Nilus incrementa capit Saturno in 25 Cancri, et Mahram, aliud Egipti flumen, horum autem incremento addit etiam Asere semia <i.e. Sirius> stella quociens ipsa oritur cuius locus ante canem in Cancro. Addel autem Babilonium flumen (quem ego Orontem opinor, de quo videlicet Babilonius arsit Orontes), infra triginta annos uno et longo tempore nimirum in medio excrescere et veteres tradunt et nos

ipsi experti sumus. Nam anno quo Abeziam opidum irrigavit erat Saturnus in vicessimo quinto Geminorum tantumque incrementum eius supervisum est quousque ad vicesimum quintum Cancri Saturnus pervenit. Igitur incrementum aquarum singulis annis quidem, etsi non tantum accedit, et in hyeme videlicet et estate hoc autem ipso humano sensu tam in mari quam fluviis fontibus et puteis cognoscitur. Nam et ex solutione nivium hoc cognosci datur. Nivium autem solucio hinc certissime perpenditur quociens videlicet australes ventos Nothum et Affricum incrementum Lune iuverit que cum proxime cum hoc vento plenilunio accesserit, is erit aquarum additamenti dies. Cum ergo certissime aditamenti sive detrimenti dies providendus fuerit, rectificanda erit Luna. Id igitur atadil--id est equacio argumenti--repertum fuerit, si additur ad alważat--id est medius cursus--augmentum aquarum significat; quando vero nec additur nec minuitur, invariabilem illarum quantitatem notat. Nam ubi primum idem subtrahi ceperit, detrimentum aquarum minuit. Hec itaque consideranda sunt in additamentis sive detrimentis.

In anni vero quartis presertim Aries et Libra consulendi sunt. Aries enim dux pluviarum, Libra vero ventorum obtinet ducatum; Cancer autem et Capricorunus caloris acque frigoris. Itaque in atahuvil quartarum anni quod proximum precessit inter alestima et izticbel precipue consulendum est. Nam eius oriens constitutum et cum oriente atahuil collatum, intuendum erit simul

et ipsum et eius dominus necnon si qua sit in eodem stella; Luna recedens quoque a qua sit hec est orientis dux. Deinde septimum eiusque dominum intuebere, simul et cum qua applicet Luna. Hic enim dux erit septimi. Post hoc igitur hii duces respicientur qua se ratione gerant: si videlicet elevate sint an contra, seu mediocres. Hiis ita constitutis orientis dominum intuebimur, qua scilicet ratione cum domino septimi conveniat, ac qualiter se ad septemtrionem austrumve habeat, et in cuius climatis et regionis signo consistat. Itaque duces predicti si humiliati fuerint et applicent invicem, sive intersit stella transferens, pluviarum est signum. Qui si sint mediocres, et modum in pluviis servabunt; at si qui inter eos altior est sublimatus, alter vero contra, pluvias negant. / 116vs

Qui si ambo sint elevati siccitatis et caloris signa gerunt. Nam si ambo humiliati nec applicantes nec fuerit inter eos stella transferens, minuunt pluvias. Quod si Mars pluviarum ducatus particeps extiterit, tonitrus et fulgura miscet. Nam si caloris dux reperiatur stabilitatem et vires addit. Iupiter autem ventorum dux. Si enim Saturnus pluviarum dux, stabiles erunt et suaves; nam si ventorum, et hiis stabilitatem adicit. Oriens vero calidus et humidus: si ergo dux eorum que dicta sunt hora sua in ea mundi parte repertus fuerit, omnia erunt firmiores. Occidens autem firgidus et humidus, eorum que sue sunt nature stellis vim confert. Auster

vero calidus et siccus: itaque caloris ducibus apud se repertis vim addit. Septemtrio namque frigidus et siccus, sua namque natura iuvat. Sciendum quoque si stelle calide et sicce ducibus pluviarum iuncte vel opposite fuerint, donum eorum imminuunt. Ad hunc itaque modum et de ceteris aurarum variacionibus iuxta stellarum status iudicandum.

Sciendum enim omnia quecumque per universum prodeunt orbem ex contrariorum quodam produci coitu. Nam agi et pati quodam modo contraria dicimus: nullo modo siquidem eiusdem esse possunt de eodem. Superius etiam et inferius, licet ad aliquod oppositione tantum distant. Igitur ex superiorum actione stellarum et inferiorum compassione universam prodire geniturarn, eorum videlicet que secunde sunt generacionis. Inter has etenim eandem que inter formam et materiam seu movens et motum, qualia sunt corpus et anima, astrologi ponunt armoniam: et hec est circuli quam apertam Arabes dicunt portam. Si ergo dominus orientis *alestima* vel *izticbel* fuerit, 12 locis que iam dispositurus sive Solis et Lune vel in equa linea, sive saltem uno gradu ante vel uno retro: illa est item quam portam apertam vocant. Nam temporibus suis et calorem et humorem et quaslibet elementorum vires provocat. Omnis quoque stella quociens in elaciore sui circuli parte fuerit quasi anime vim obtinebit; cum autem in inferiore, velud corporis vicem gerit. Cum igitur huiusmodi portarum apercionem scire convenerit, respiciende erunt stelle

due supradicte que circuli porte dicuntur. Que si applicant sibi invicem, erit porta aperta; et si utraque earum cum alia qualibet applicans fuerit, similiter; meliusque si suas respiciunt domos.

## De duodecim porcionibus

Nunc que Solis et Lune prediximus in circulo duodecim loca discernamus.

Horum itaque primus quociens Sol et Luna in uno fuerint gradu.

Secundus quando 12 distant gradibus.

Tercius cum 45.

Quartus 90 et hec est nodi solucio.

Quintus 135.

Sextus 168.

Septimus 180.

Octavus 192. Secunda videlicet nodi solucio.

Nonus 225.

Decimus 270.

Undecimus 325.

Duodecimus 360.

Primus videlicet in alestima/ introitus. Alestima quoque 116vd
omni tempore in terminis suis spectatur. Cum igitur in hyeme in terminis Veneris fuerit, nebulas et pluvias significat. In

terminis autem Mercurii, frigus et ventos. In Saturni, gelu et obscuras nubes. In Iovis autem humidum tempus et suave. In Martis calidos et siccos dies.

In estate vero si in termino Veneris fuerit, eo die nubes auris inducit. In Mercurii ventis aerem agitabit. In Saturni ventos et nubes confundit. In Iovis tempus suave et mediocre. In Martis estum gravissimum inducit.

Quociens autem Luna mixta cum humida stella in aliquo duodecim locorum in signo humido et frigido fuerit, licet non sit porta aperta pluvias fundet. Similiter de calore et frigore. Non enim in omnibus signis humidis Luna dat pluvias, nisi videlicet Venus et Mercurius mundi de signis humidis pentagono ipsam respiciant. Nam et Venus Mercurium respiciens si uterque in suo termino fuerit, pluvias fundet, si scilicet sint in signis humidis. Nam in aliis nubes inefficaces conducunt. Quociens Mercurius tardior cum Venere in eodem termino cuiuscumque signi coit, pluvias longas significat etiam infortunio respectus. Luna in termino Veneris et Mercurii ipsis aversis validos quidem et inefficaces tantum aget ventos. Si vero Venus Mercurium de loco humido respexerit, pluvias donat; aliunde namque ventos quidem et nubes sine fructu conducit.

Cum itaque finis pluviarum deprehendendus fuerit notandum est quando Luna aut Venus sive Mercurius aut dux ipse pluviarum transierit suum terminum in quo fuerit sine explicacione, is

erit finis pluviarum.

Quociens enim et Luna signa per circulum mutat tociens auras variat. Idem est et inicii pluviarum auspicium. Similiter in calore et frigore.

Notandum etiam quando Sol in Martis terminis fuerit si Mars eam respexerit validum conflat calorem. Idem de frigore venit iudicium quociens Saturnus Solem in termino suo viderit.

Quociens autem Luna obscura et spissa visa fuerit pluviarum signum est.

Item omnis ventus qui principio cuiuscumque lunaris mansionis oriente nascitur usque ad medium eius ortus,qui in septem diebus consistet,perdurat.

## Nunc de ducatu Lune per signa

Luna in Ariete in atahuvil reperta pluvias frequentes donat, aerem temperatum reddit. In Tauro vero ventos validos aget, spissos fundet imbres. In Geminis ventos et solicitudinem hominum. In Cancro ventos et pigriciam hominum. In Leone calorem. In Virgine ventos et auras variabiles. In Libra ventos, nubes et pluvias. In Scorpione frigus cum siccitate, si cum ea applicat Mars. In Sagittario ventos. In Capricorno calorem siccum. In A/quario pluvias. In Piscibus ventos, nubes et pluvias et aerem 117rs
temperatum reddit.

## De mensibus

Anni simul et quartarum *atahuvil* et per auras deducto, in mensibus quoque rerum huiusmodi speculacionem mandat astronomia.

Cum enim cognitum fuerit de quantitate pluviarum per totum annum in Ariete cum ceteris conversivis, deinde in mensibus *alestima* et *izticbel* consulitur.

Nimirum siquidem quociens aurarum lumina seu mundi tocius, Sol videlicet et Luna, conventu sive oppositione mutantur tociens ipse pariter variantur aure.

Nam si in hyeme fiat 18 diebus nubilus et ventosus erit. Si vero in estate dies venti vel caloris additamento variatur.

Igitur in singulis mensibus oriens conventus luminum et oppositionis principaliter consideratur: firmus autem naturaliter conventus testimonium; oppositionis tamen adhibetur rerum iudiciis suffragium si oriens conventus mobile sive bicorporum fuerit. Nam si firmus sit eius oriens, ipse totum indicabit mensem. Itaque si id oriens signum aereum fuerit, ventosum fore portendit mensem. Si aquaticum, nebulis obscurat. Si igneum, tonitru et fulgore terrebit et calore. Si terreum, multum frigus minatur magisque in Capricorno.

Pluvie vero de portis apertis producentur eo modo quo dictum est duabus circuli portis, id est orientis et septimi

dominis, qui seu sint humiliati sive sublimati.

Hiis itaque perspectis notandum cum quo applicat Luna in hora alestima vel izticbel. Que si sit applicans cum domino orientis aut eius principatus aut trigoni, sive cum Venere et Mercurio qui licet non sint participes orientis pluvias tamen promittunt; post hoc itaque a gradu Lune usque ad gradum stelle cum oriente climatis quot inter sunt graduum numerus fiet. Quotus hic ergo repertus fuerit tot diebus interpositis eiusdem orientis regionibus pluvias promittens. Cum autem gradus alestima vel izticbel cum stella orientis ex parte applicans inventus fuerit, nec erunt pluvie nisi pauce forsitan. Similiter si ea stella sub Sole fuerit, diem quoque conventus servare oportet, pro stellarum scilicet conventibus acque respectibus. Qui si fiant in signis humidis, fazaiar edelile ad cardines ab oriente eorumque dominos. Sciendum enim quodlibet oriens ad naturam propriam dominique sui revertere.

Cum hiis autem stelle que in cardinibus fuerint participes statuendum. Si ergo alestima in oriente ipso aut cardine quolibet fuerit firmum est et in pluviis et ceteris donis. Cum ergo dux Solem respicit vel applicat cum ipso pluvias impendit. Ita Venus quoque sub radiis et in cardine. Cum qua si Luna applicat similiter.

Dominus autem orientis quociens in signis aquaticis fuerit duxque vel coniunctus vel applicans cum ipso et signo aquatico

ori / ente. Sol et Luna eius domino testantur in oriente, omnio pluvias fundi necesse est. 117rd

Quociens autem alestima in summo fuerit et Sol liber infortuniis, certissimum pluviarum est signum; Luna quoque recedens a Sole cum quo applicet notandus simul et dominus orientis. Si enim cum Venere applicat, Marte averso, pluvias sine dubio promittit quociens videlicet vel applicet cum Venere vel ad cardines Solis venerit.

Infortunia siquidem, ut sicca sunt, pluviarum dona vetant. Ita si Luna recedens a Sole cum Marte applicat, ventis et tonitru ac fulgure valido terrebit, paucas tamen pluvias promittit; qui si mixtus sit cum Luna recedente, aversa Venere, penitus ei mensi pluvias negat ubi forte prius ipsum cum Iove aut Venere applicet. Narh si converso post benignas Luna cum nociis applicet primo quidem boni donum confert, pluvias deinde mali corruptio restringit.

Item si Luna recedens applicet cum Saturno et a Venere et Mercurio respecto, voto pocietur ubi forte Saturnus in signo igneo inventus sit, Marte tetragono sive oppositione respectus qui nubes quidem et ventos concedet nequaquam tamen pluvias permutet.

Mercurius autem si pariter cum Saturno Veneri applicet Lunaque respectus Saturni particeps multas significat pluvias

nisi forte retrogradus inveniatur mercurius.

Ac quociens Luna recedens a conventu applicat cum Venere aut Mercurio sive Saturno, pluviarum est signum, si videlicet ars sit aversus.

Quociens item conventum in cardinibus invenire contingerit notandus erit orientis terminus simul conventus. Si ergo benivole utrumque respexerint totus is dies pluviis undabit. Dominus quoque signi conventus pariter cum orientis domino considerabitur, qui si sint in cardine ab alterutro, eo die pluviarum non erit finis.

Quociens autem orientis simul et signi conventus domini ambo a signo conventus aversi fuerit, cum Luna primum ad tetragonum eius pervenerit,pluvias promittit.

Item cum Luna de primo cardine dum domino suo applicat ipsa felix vel in termino felicis,eiusdem est largitatis.

Quod si infortunia de secundo cardine ipsam respiciant, que in primo cardine largitur, in secundo contradicit.

Cum autem qui cum domino Luna applicat fuerit infelix et in termino proprio in cardinibus,vetat pluvias donec eos terminos transeat. Hic ergo si cum domino suo applicat et ille felix, malignis scilicet aversis,largas promittit pluvias. Cum autem noxie simul cum benignis in alestima participant de cardinibus et propriis termino respiciendo,quociens Luna applicuerit cum cardinibus bonorum largitur pluvias;cum cardinibus autem / infortuniorum vetat. 117vs

Deinde utriusque infortunii loca notanda. Qe si sint in opposito conventus et in terminis suis, paucas dant pluvias nisi mixte sint benivole non tamen bone erunt. Si vero oriens liberum fuerit infortuniis, Luna vero in cardinibus aliquo autem ominum vel cum ipsis vel in tetragono aut oppositione eorum, crebras et suaves promittunt pluvias.

Luna quoque si in primo cardine fuerit ab oriente in termino benivole, firmiores erunt pluvie quam si Sol ipse inibi esset. Cum qua si Saturnus ibi fuerit, aliquo ominum respectus de cardine secundi et termino benivole, longas et utiles faciunt pluvias.

Deinde Saturnus, Venus acque Mercurius in hora oppositionis spectantur; qui si sint in cardinibus in propriis terminis sive saltem oppositionis orientis, suaves dant pluvias.

Quod si loco Saturni Mars sit id iztichel, ventis et nubibus fecondabit pluvi aut effectum faciet magisque si Mercurius eius quarte sit dominus. Sin autem Iovem et Venerem in oriente invenire contingat Solemque cum ipsis, Saturnum autem in tetragono, Martem aversum, paucas pluvias. Ac si infortunia cum Luna in signo oppositionis fuerint in terminis aut propriis aut Mercurii, erit illud iztichel ventis et igne rerum corruptio. Nam et quadrupedibus adversatur si Solis iztichel in signo quadrupede fuerit. Nam si in signo aquatico, aquatica corrumpit. In signo autem humano vite hominum nocet. Sic etiam in signo terreo germinibus adversatur. Quod si simul sint benigne et adverse,

que inter eas fortiores fuerint obtinebunt. Si autem in signis aquaticis, aquatice post dominum eorum fortiores, utpote Luna in Cancro in hora izticbel benivolis respecta fortissima magisque in pluviis Venere respecta. Postremo oriens alestima et izticbel considerandum cuius terre sit oriens, eique dux erit omnium variacionum.

## De diebus

Tres sunt etheree lucis conversiones. Prima et maxima omnis propremodum geniture principis Solis, quem annum vocamus. Secunda proxime post Solem Lune qui mensis est. Tercia est diurna syderum conversio.

Habet autem quelibet quatuor partes. Itaque partes anni que maiores sunt per se quoque discerni faciens necessarium ducit. Mensis autem partibus que per septenos numerantur dies ipsorum atahuvil dierum sufficere arbitratus est.

Sunt itaque in circulo quedam pluviosa signa ut Leo, Aquarius, Cancer, Scorpius, Pisces. Et inter hec precipua Leo et Aquarius.

Sunt et stelle pluviales ut Venus, Mercurius, Luna. Et potentiores Venus et Luna.

Australis etiam mundi pars humidior quam septemtrionalis. Si ergo Luna septemtrionem versus fuerit, infortunium fuerit

ad austrum,pluvie signum est. Quod si converso fiat impedi / untur. 117vd

Quociens enim Luna applicat cum Iove aut Venere sive Mercurio in eadem latitudinis parte, eo die dat pluvias, magisque si Luna recedens ab alestima recipit Iovem aut Venerem, sive Mercurium et maxime ad austrum.

Saturnus quoque in signo humido pluvias non vetat.

Cum autem stelle aquatice in eadem parte iuncte fuerint queque superiores sunt altius eant quam inferiores sub illis, utpote Luna sub Saturno, Mercurius sub Iove, Venus cum Marte, pluviarum est signum.

Notandus vero dux cum Sole et Venere; qui si omnis aut saltem unus in termino stelle nebulis proposite, nebulosum faciunt diem.

Videndum etiam quando stelle vel iunguntur vel respiciunt se in cardinibus ab oriente anni vel mensis. Si itaque in cardine id contingat pluvias conducunt. Nam et mensis oriens cum fuerit signum humidum fazaiar edelile ad cardines ab oriente eorumque dominos.

Semperque cursus Mercurii notandus.

Nam retrogradus vetat pluvias, rectus annuit.

Luna quoque recedens a Sole quamdiu in eodem signo fuerit, licet non applicet cum alia, tamen annuit pluviis.

Quociens autem Luna ubicumque consistens pluvias dederit per omnia eiusdem trigoni signa pluvias daturam, certum cercius

si in signo aquatico iungitur eo die noto potitur.

Item Luna per signa notanda. Nam quociens cum Sole in Aquario iungitur eo die vero potitur. Similiter Venus et Mercurius. Cum autem omnes hii tres simul iunguntur non finiunt pluvias donec Luna con Sole conveniat. Nam et Sole in Aquario exeunte, quociens Luna in Leone fuerit pluet.

Venus etiam et Mercurius cum Sole iuncti pluunt.

Item Sol in Piscibus aut Ariete, Luna vero in Ca[illegible]o aut Virgine, Libra sive Sagittario, pluvias conducunt.

Quod si Mars Solem aut Venerem sive Mercurium respexerit, tonitrus et fulgura miscet; qui si sit retrogradus, rem adauget.

Nam et Luna aut quilibet illorum cum Marte applicans idem partitur.

Item Luna in Tauro, Mars in Scorpione vel econverso, Sol autem in Aquario aut Piscibus sive Ariete, tonitrus et fulgura miscet.

Mars autem in Geminis Luna vero aut Sol in Piscibus, cum pluviis fulgura.

Sol quoque in Scorpione aut Sagittario, Luna quoque in uno eorum aut Piscibus, Mars autem in Geminis aut Tauro sive Virgine, nubes et fulgura cum pluviis.

Venus etiam in Tauro aut Aquario, Luna Marti iuncta de Scorpione respiciente idem conficit, sique Saturnus respicit grandines

addit.

Item Venus in Scorpione, Luna vero in Tauro, pluvias conducunt.

Cum autem Mars humiliatus, Venus vero sublimata fuerit in Aquario videlicet aut Pisce quociens a Luna de Leone, aut in Ariete de Libra, aut in Piscibus de Sagittario ⟨respectus⟩ , eis diebus fecundas largitur pluvias, quarum tamen respectum si Mars intercipit, / donum minuit. 118rs

Eedem iuncte in Aquario vel Piscibus, idem.

Item quociens in Piscibus iunguntur stelle, superflue sunt pluvie.

Nam cum due iunguntur, utpote Venus et Luna, aut Venus et Mercurius, Luna vero respiciat aut applicat cum eis de Capricorno aut Scorpione, Tauro, Sagittario aut Virgine, pluviarum est signum.

Nam et si Venus, Mercurius et Luna in signis humidis sint, Mercurius autem retrogradus in adustione sit, vetat pluvias.

Luna in Tauro eiusque ternario Venere et Mercurio rectis de opposito respecta, licet infortuniis oppressa, voto potitur.

Item Luna cum cauda in Tauro, Mars cum Venere in Aquario, Mercurius in Piscibus aut Capricorno, pluvias conducunt.

Quando vero Luna cum Venere ad aquatica signa pervenit Venusque sit in stacione, omnem terram celesti rigabit humore.

Si vero non sit stans, nec tantam largitur copiam.

Item de inferioribus quociens due in signis humidis conveniunt, pluvie signum est.

Sed et Luna per se in signo humido illud respecta, eiusdem largitatis est.

Quociens autem has tres infra iunctas infortunium respexerit, larga quidem influunt copia sed inutili.

Luna quodcumque signum intrante in eadem hora notandum oriens, terminique Lune dominus, simul et qui oriens de cardine respicit. Si ergo benivole in cardine ab oriente in suis dignitatibus fuerint, in eis signis conducunt pluvias. Quod si ita malivole site fuerint, vetant. Deinde primus ab oriente cardo respiciendus. In quo si fuerit Sol aut Iupiter, Venus, Mercurius, pluvie signum. In quo vero si noxie fuerint, benignis aversis, impedimentum. Verumptamen et infortunium annuit si Luna intrante signum ipsum in oriente fuerit in dignitate ominis, ipsamque vel iunctum vel respiciens, magisque si Saturnus.

Item Luna in signa intrante et hore notande. Nam si in hora Saturni in Scorpionem intret, suaves et tardas donat. Si vero Iovis hora in Leonem vel Libram intrat, tonitrus et fulgura miscet. Nam et in Taurum hora Martis intrans, pluet. In Cancrum quoque hora Solis, necdum in Virginem hora Veneris, sive

Geminos hora Mercurii, sive Sagittarium sui ipsius, aut Pisces sive Arietem vel Taurum in hora, vel propria vel Mercurii. Quociens enim in hec signa hiis horis intrat antequam exeat, pluet.

Deinde discernende sunt pluvie partes. Die namque a gradu alestima usque ad signum Lune numerabis, nocte vero econverso, et ubicumque ab alestima oriente precedens numerus steterit, ibi erit pars pluvie. Cum hac itaque parte si in cardine aliqua inferiorum fuerit, ubi primum Luna ad eam pervenerit, eo die terras eius signi rigabit. Est autem alia pars pluvie cottidiana, qua videlicet a Sole ad Saturnum metimur, numerumque inventum a gradu Lune, in quo est oriente Sole singulis diebus eicimus. Hec itaque pars si in domum Iovis ceciderit, ventosum / nunciat diem; si vero in Martis calidum, et in Solis similiter. 118rd
In Veneris autem pluviosum. Nam in Mercurii ventosum. In Lune quoque pluviosum.

## De signis visis

Aurarum variacionibus in cursu et statu stellarum discretis, nunc quidem et varia in supernis signa visa seu monstrent sive portendant disserendum videtur.

Nam plerisque visum quociens Sol oriens vel occidens clarus apparet, serenum indicare vel presentem vel crastinum diem. Quod si vel in corpore Solis vel in radiis inpensior videatur rubor, ventum ex eis aget partibus. Cum autem Sol oriens aut occidens obscurior apparet, aut circulo quodam quasi coronatus, pluvias promittit. Item Sole oriente vel occidente si nubes quodammodo secte videantur, differunt pluvias. Si turbulente, accelerant.

Luna vero quattuor notatur terminis: primum tercia, secundo media, deinde, plena; ad ultimum 25ª. In hiis itaque terminis si quodammodo gracilis et acuta et cum claritate rutila aut quasi saliens apparet, ventos ex eis aget partibus; si vero dempsior et fusca, pluviarum signum est. Eadem rubeo aut sanguineo coronata circulo, frigoris est iudicium; subnigro, pluviarum. Si vero plures huius fuscique videantur circuli, maximi frigoris multeque hominum dissencionis signum.

Stellarum etiam si tales videantur orbes, idem ferunt iudicium. Ille vero que fixe dicuntur si forte maiores solito seu cor-

pore seu radiis appareant, ventos ex eis partibus agent; que si obscuriores appareant,pluviarum est signum.

Nam et ea radiorum tela que per auras feruntur et vulgo stelle decidentes dicuntur, si frequencius volitent, aurarum mutacionem significant.

Arcus quoque aereus quadricolor--ille quam nos serini dicimus--si forte post serenitatem appareat, pluvie signum est. Si post pluvias, serenitatis. Cum vero multi simul, multi frigoris et tempestatis signum est.

Sol autem quociens oriente aldebaran Tauri primo, ipse in Scorpione consistens, nubilus apparet: gravis inter homines tempestatis et cladis est nuncius. Similiter cum alhava, id est elmice. Nam et cum adoraia (i.e. athoraia) ita visus turbat.

## De ventis

Igitur de natura et diversitate ventorum Arabes proculdubio aliter atque nos senciunt. Arbitrantur enim ex qualibet aeris aplosione ventos citari qui diversis temporum terrarumque qualitatibus infecti nunc calidi veniant. Sed quid mihi contra huius insulsam ire opinionem. Cum modum Latinis sollers intimarit grecia ex aquarum refusionibus atque concursu quattuor principales, ex reiectibus autem utrinque quarum binos collaterales consurgere ventos atque ita a quattuor mundi cardinibus eorumque

qualitatibus in omnem terram orbem irruere tractumque terre vaporem per auras cogere. Itaque valida manu per vastum inane invicem obviantibus nubes confractas auras incensas terribili tonitru stupendo ful / mine prius oculis deinde auribus mortalium 118vs significare. Atque hec actenus. Sicque enim tanto opere ad artis officium quam nature cognitionem pertinent. Id igitur de hiis quoque quid actinet exequamur.

Sunt itaque circuli planetarum diversis rerum significationibus prestituti. Inter quos intervexi iovialis acque Mercurii ventorum causas moderatur. Frigidi vero venti Soli in Capricorno et Aquario debentur.

Tonitrus autem et fulmina presertim in domibus Martis, Marte scilicet Lunam de Piscibus respiciente, Sole autem in Scorpione aut etiam Libra.

Mercurius quoque quando Iovem respicit alter sublimatus alter humiliatus et hic illum ventosum significat annum, Luna autem de Tauro Mercurium in Aquario aut Piscibus ipsum principem in <u>atahuvil</u> Iovique receptum eo die ventos aget. Similiter Mercurius in Aquario Luna vero in Leone, aut Mercurius in Piscibus Luna vero in Sagittario a Virgine sive con Iove sive Mercurio in hiis videlicet signis aut Iupiter in principatu suo Mercurius aut in Sagittario aut Piscibus. Nam et Mercurius in Scorpione. Iupiter in Tauro aut Leone applicantes sive Luna cum Mercurio de Aquario aut Piscibus aut Tauro.

Item Mercurius in Sagittario Luna vero applicans de Geminis aut Piscibus sive Virgine. Sol etiam in Libra aut Scorpione sive Sagittario aut in Aquario sive Piscibus sive Ariete.

Mercurius vero sub Sole ventos eluit quos si Venus respiciat pluvias adicit. Si Mars fulmina. Nam et Luna pluvias.

Sed et Luna Venus atque Mercurius aut omnis aut Venus Martem respiciens tonitrus minatur.

Caloris autem inequalitas pro Martis statu deprehunditur sit calorem auget. Et si simul tardius incedat incrementum producit. Si velocius cicius minuet qui si ambo sublimantur calorem minuunt. Quod si Sol humilietur Mars autem sublimetur augmentum frigoris pacientur qui si ambo humiliantur frigus minuunt. Cum autem Sol humiliatur Venus vero sublimatur in estate rores in hieme pruinas faciunt. Item Sol in signis frigidis similiter.

Nam et Venus occidentalis ventos placat calorem mitigat. Orientalis autem calore pestifera.

Infortunia quoque per signa considerantur pro que motu et statu huius rerum variacionem discriminant. Nam Aries eiusque trigonus cum Marte autent calorem cum Saturno frigus minuunt. In Tauro vero eiusque trigono Saturnus auget frigus Mars minuit. In Geminis quoque eiusque trigono Mars calorem auget Saturnus minuit at vero in Cancro eiusque trigono Saturnus auget frigus Mars minuit.

## De victualibus

Tria sunt omnino que tocius libri seriem texunt: primum et maximum diverse terrarum alteraciones. Secundum discrete aurarum variaciones. Tercium et ultimum inequalitatis hominium / necessitas. 118vd

Duobus igitur huc usque prout facultas tulit executis, restat tercium iuxta eosdem stellarum situs et motus quantum homini concessum est non minus sollerti indagine per omnem circulum sectari. Quociens igitur in atahuvil anni in secundo ab oriente infortunium inventum fuerit victualium et annone caritatem prenunciat presertim autem signi nature corrupcionem. Nam si omne ibidem inventum fuerit, spem bonam homini affert necessitati. Tempus autem boni malive cum Sol idem intraverit signum, idque certissimum.

Venus autem cum primum in aliqua benivolarum dignitate apparuerit a principio albutan usque ad alie hec be--quod est ab Ariete ad Leonem--prosperitatis est nuncia. Si autem in medio apparere incipiat--videlicet ab alchuratem usque ad esseule--quod est a Libra usque in finem Scorpionis--mediocre tempus significat.

Si autem ab annaim usque ad asseriten--que est anuath--gravitatem rerum deplangit.

Deinde in atahuvil infortunia consideranda. Si enim habuerint anni dominium sine dubio gravem faciunt annum. Peius

autem si Saturnus anni dominus in summo inventus fuerit; nam si alibi fuerit, ei tantum climati adversatur. At si ominum sit anni domini aut saltem in oriente inventa fuerint, prosperitatis est signum.

Deinde orientis dominus consulendus qui si in cardine sit gravitatem rerum minatur. Si in remoto abundanciam promittit si vero post cardinem quale est id inter cardinem et remotum talis est significacio. Dominos etiam cardinum in rerum testimonia adducemus. Nam primam anni partem orienti eiusque domino dicamus; media vero pars anni medio celo eiusque domino mandatur simul et ei qui cum orientis domino applicat; ultimam vero cardini terre eiusque domino, stellis etiam que instar vel respiciunt trigoni quoque modo dominium eorum respiciant vel ubi ipsi sint, proque statu suo in iudicium assumitur. Nam et orientis dominus si sit in loco alacri ut in cardine vel receptus sive rectus quasi terrenorum indignacione quadam nichil prosperitatis hominum necessitati mandat.

Inter omnia vero principaliter orientis dominus consulendus deinde prefectus ac deinceps omnium orientis dignitatum, ut sese secuntur, ita prelati in iudicium veniunt. Hore quoque dominus simul et luminum acque alestima sive izticbel nec non et dominus partis fortune. Inter quos omnis qui fortissimus inventus fuerit in ducem eligitur. Hic igitur qualis in circulo fuerit, talis eius est in terris significacio. Hoc scilicet diligenter observato ut

si eedem benigne stelle que ominis boni sunt nuncie fuerint in locis firmis et fortes, gravitatem necessitatis hominum portendunt. Si vero in locis remotis et aversis abundanciam innuunt. Quod hoc prorsus aliter acque alias accidit. Opinor enim ex fortuna stellarum terram adeo lascivire ut hominum necessitati obtemperare indignum ducat. Quod genus et apud Georgicos non ignoratur. Illud autem non minus /attendendum quam in quo signo 119rs dux inventus fuerit eius nature quamcumque fortunam gerere, utpote in Ariete eiusque trigono quadrupedum in Tauro et eius trigono graminum et deinceps.

## De mensibus

Sed quoniam de necessitate hominum in annali atahuvil prelibatum est, deinceps per singulos anni menses rerum diversitatem plenius exequamur.

Per singulos itaque menses sciendum quoniam quecumque stella in anno principatu suo inventa fuerit, in eis que sue sunt nature sue semper addit; que autem in casu, detrahit. Harum itaque si cursus per circulum in loco adverso sive omni alio infortunio inventus fuerit, minuunt. Si vero pariter cum aliis infortuniis propremodum adnichilant ut videlicet ad naturam stellarum respiciat.

Nam Mars si anni dominus fuerit militibus quidem omnimodo

prosper; ferri tamen et quadrupedum detrimento gaudet. Si vero Saturnus agriculturam et cetera id genus pro loco et statu suo variat. Si vero Iupiter, gemmas, aurum et argentum. Ac si Venus in aereis et sponsalibus statum suum demonstrat. Mercurius vero anni dominus si in loco prospero fuerit, mercatoribus quidem questuosus, germinibus autem incommodus pro signo videlicet in quo fuerit. Luna vero pro loco suo cotidiani usus necessaria variat. Quod si Sol anni dominus fuerit magnatibus salubres. In loco vero adverso, vulgo principum minatur iram.

Post hec ducem varietatis rerum intuebere. Qui si sit in oriente aut in decimo, erit variacio in prima mensis septimana; si vero a septimo ad quartum, in postrema.

Saturnus enim dux victualium si fuerit retrogradus tamquam ex appropinquacione ad terram annone augmentum affert. Qui si sit rectus et Iove respectus, velud superbia quadam terras dedignans donum suum subtrahit. Mars vero respectus, tamquam coactus manum porrigit.

Mercurius autem dux mercature similiter ex parte hac spectatur. Cauda quoque pro loco detrimentum iuvat. Caput augmento gaudet.

Sciendum etiam quociens benivole signum quodlibet intrant, eius nature proficuum. Malivole autem contra. Nam et Venus et Iupiter in Ariete ovibus et ceteris huius generis prosperi. In Tauro messibus. In quibus si Saturnus et Mars sint, contra facient. Et ad hunc modum in ceteris.

Quod si Arietis dominus in principatu suo sit, proficuum Iovis et Veneris in Ariete principum est; si vero in excicio suo, vulgi. Et deinceps iuxta naturam cuiuslibet eodem modo.

Profundissimum autem id in omni hominum conceptione, quoniam planete signorum tantam vim gerunt ut spiritus eorum astronomice dicantur. Maior autem omnium virtus est Sol. Hic ergo de quocumque signo erit quodam modo spiritum eius auferens vires ipsius extinguit. In quo autem intrat quasi vivificans naturam eius excitat. Eruntque possessiones signi sub consilio Solis donec inde exeat, eritque interim medius inter signum eius regionis nuncius vel minister.

Luna vero que citima est conventum eius / con Sole et 119rd
oppositionem speculamur. Igitur in anno 12 sunt Solis et Lune conventus. In quolibet igitur constituendum erit oriens, stellarumque loca per circulum notanda. Itaque fazaiar delile inventum usque ad principium alterius conventus. Quod cum ducem inventum, iudicem mensis statuere. Nam si conventus oriens signum firmum fuerit, totum mensem dux hic iudicabit. Si vero bicorporeum aut modile et izticbel, in partem assumetur. Videndum enim si signum oppositionis ducis predicti legit consilia, quisve alius de planetis seu locis circuli vel ei consentit vel aversus est.

Deinde natura ducis consideranda. Qui si sit retrogradus vel aversus sive quoquomodo corruptus sue significationi adversatur. Dominum eciam conventus orientis intuebere, quo scilicet

se modo gerat; si videlicet est *zeit* si *alchezib an nakiz*, stellam etiam alienam, si que sit in oriente, si aliquid habeat cum domino eius. Que si sit expers, in eo mense ducis potenciam pro natura sua locique corrumpit. Quod si in oriente nulla sit stella, eius dominum simul cum eo qui ducis legit consilia in iudicium assumere oportet. Et si dominus orientis in cardine aut undelibet oriens suum amice respiciat, ipse erit dux iudicii certissimus. Qui si sit orientalis velocius incedens, addit in rebus pro sui cursus addicione magisque eo die quo ad oriens ipsum pervenerit aut eius amicum respectum. Luna vero contra. Nam si addit a conventu *izticbel*, detrimentum faciet; si minuit ab *alestima* in oppositione, augmentum facit. Deinde orientis dominus si fuerit receptus stelle addenti et in cardine site addit. Nam et si ambo in *alchezib* addunt, in rebus etiam augmentum mandant.

Quecumque vero stella in cardinibus fuerit applicans cum stella aversa vel minuente detrimentum rerum nunciat.

Cum autem orientis dominus et recipiens stella ambo scilicet minuunt in *alchezib*, detrimentum item significant magisque si remoti fuerint. Dominus autem orientis si in cardine fuerit, erit firmum detrimentum; magisque si idem addens simul vel cum respiciente stella in undecimo aut duodecimo fuerit. Cum autem orientis dominus applicat cum stella addente, eo die res augentur; contrario quoque cum idem orientis dominus applicat

cum stella minuente, eo die rebus detrahent; magisque in nono aut undecimo. Cardines etiam firmitatem prebent, interdum tamen detrimenti ducatum gerunt, cum videlicet in eo dominus orientis applicat cum stella minuente. Idem orientis dominus si minuens fuerit nihil interest, si quisquam alius addens sit. Quod si orientis dominus Sol sit aut Luna, qualiter se habeant in alchezib intuendum erit. Magis itaque rerum addicio futura cum scilicet subtracta alauge de eius alwazat sex signa remanebunt usque ad novem. Nam a novem usque ad 12 detrimentum est. / 119vs

A tercio usque ad sex mediocris rerum status ab uno usque ad 3. Similiter minuunt si scilicet tantum addebant, magisque Luna velocius incedente.

Dominus igitur orientis quicumque fuerit intuendus qualiter se habeat in alchezib. Acque respectu stellarum queque applicent cum eo addentes videlicet vel minuentes et utrum de cardinibus aut aliunde.

Quociens enim orientis dominus cum stella in cardine applicat firment rerum sive detrimentam sive augmentum quoadusque vel eadem stella de eo exeat loco, aut mensis ipse finiat.

Quod si dominus orientis remotus sit qui vero cum ipso applicat in cardine, addent donec idem recedat ab ipso; tunc enim detrahere incipient. Item dominus orientis aut ipsius dominus si applicans inventus fuerit cum stella in suumo sita, summum in rerum precio additamentum significat peiusque si addentes ipsi fuerint. Nam minuentes parum adiciunt. Orientis autem dominus et oppositi si addentes inveniantur, addunt in rerum precio; si minuentes, minuunt. Quociens autem in mediocri itinere fuerint,

mediocritatem res tenebunt.

Et sciendum quando Venus et Mars ducatum additamenti sive detrimenti gerunt sicut in cursu sunt prompti, ita in ducatu impensi.

Quociens Luna corrupta aliorum legit consilia, annona precio carebit. Eadem salva sine consilio, victualium addit precio. Deinde notandum quociens Sol aliquod signum intrat in quo alio sit Luna. Si enim id fuerit addens, addet ipsa in omnibus que signi nature fuerint. Contrario similiter in signis minuentibus, utpote in Ariete eiusque trigono, aurum et argentum acque id genus et ita de ceteris.

Omnem autem rerum in maius minusve diversitatem primum ab *alestima* anni, id est antequam Sol in Arietem intret, deinde quarte, postremo mensis id est antequam Sol quemlibet seu conversivum, seu quodcumque aliud intret signum, Memfiticis speculari mos est. Nam PTOLOMEUS non solum pronosticorum, verum etiam genezie et annalium omnisque astronomice rerum providencie *alestima* et *izticbel* principale ponit fundamentum. Nec inmerito. In omni quippe rerum vicissitudine mundique accidentibus quidem Solis et Lune viribus equale, quod consilio simile. Quod enim iustius et sanctius accidentisve quoslibet motus digno philosophancium prodit animo quam quid et movet et sustentat metamque ipsam perscribit.

De eclipsi

In conventibus autem et oppositionibus Solis ac Lune quoniam alterutrius rara vicissitudinis lege cum multa gravique rerum significatione defectus accidere solet, quod huic quoque providendum antiquitas legarit nichilominus exequendum.

Sciendum itaque nisi circa caput vel caudam eclipsim fieri non posse. Duplex est ergo eclipseos cognitio. Caput siquidem calidum connaturale benivolis. Cau/da facta de natura noxiarum. 119vd
Nullum igitur maius omen benivolarum circa caput conventu, nullum maius infortunium cauda noxias coniungente. Benivolarum autem optimos affectus non minus eadem circa se corrumpit quam capitis vicinia noxiarum temperat factionem.

Postremum igitur eclipseos periculum circa caput in domo Martis, circa caudam Saturni.

Signi quoque in quo patitur lumen proprietas in terris et occupatio notanda; in eius enim parte eclipseos irruit adversitas. Locus etiam eiusdem signi in circulo respiciendus; in qua enim circuli quarta fuerit, ei terrarum parti adversatur. Quod si signum et locus circuli ita diversa sint, ut alterum orientale, alterum sit occidentale et ad hunc modum conferendum erit inter utriusque naturam cuique plura accesserint testimonia ei concedendum.

Eis vero terrarum partibus Solis eclipsis timenda ad quarum visus pervenit. Sic enim cum sub terra contingit, nichil superiori

nocet emisperio.

Cum signo autem eclipseos et oriens considerandum.

Oriens vero triplex, videlicet principium medium acque finis, quod hugile dicimus. Videndum etiam cum quibus applicet stellis utriusque generis.

Color etiam pacientis, signi quoque natura. Hec enim diligenter observata certam iudicantis dirigunt viam. Si enim in Ariete eiusque trigono fuerit, omnibus fere quadrupedibus est nociva, presertim vero principibus adversatur. Aries enim omnibus villosis preest, Leo autem ad nucis rostris. Sagittarius vero omnibus que calce minuta sunt.

In Tauro vero eiusque trigono bobus et germinibus acque pueris dampnosa; Taurus enim boum eorumque laboris ducatum gerit. Virgo omnia tenella ut pueros et germina preit. Capricornus capris earumque victui prestat.

In Geminis autem eiusque trigono hominum volatiliumve nacionisque periculum gerit. Geminis enim principum et magnatum commissa est providencia. Libre religionis custodia, mandata. Aquarius vulgi principatum optinet.

At vero in Cancro et eius trigono satis aquis et aquaticis periculosa est; etenim Cancer ominis superne terrent et aquatica cuncta gubernant. Constituto igitur medie eclipseos oriente locisque dominorum per circulum firmatis diligentissime servandus erit qualiscumque sive respectus sive applicacio primum inter

dominos eclipseos et eius orientis. Deinde ad dominum anni ducemque regis sive gencium inter utrumque genus stellarum. Si enim dominus eclipsis ipsam respicit corruptus respectu noxiarum, firmissima est mali significatio. Peiusque si is eclipseos dominus et regis dux sit. Si enim ita sit, timendum erit regi cum primum Sol ad idem eclipseos oriens pervenerit.

Cum autem ad colorem discernendum speculacio versa fuerit. Si in Aquario eiusve trigono contingerit, Saturnus autem
in cardine ab eclipsi Martem cum So / le tetragono respiciens. 120rs
Mercurius vero cum Sole in termino vel proprio vel Saturni, niger erit color eclipseos. Si vero Mars in cardine ab eclipsi fuerit, Mercurius vero cum Sole in termino Martis cum ipso applicantes, erit rubeus magisque in domo Martis. Si vero Iupiter in cardine ab eclipsi Venere vel respectus vel applicante de termino utriusvis eorum, albus erit. Cauda vero pallori adiciet.

Ad meciendam vero malorum quantitatem tocius ecliptici status spacium[a], a principio usque ad finem in horologio deducimus.

Quot igitur hore equales in toto status spacio invente fuerint tot annos eclipseos effectus durabit, hii vero anni in Solis eclipsi numerantur. Nam lunaris mensium numerum observat.

Aut quod facilius est: quot enim signa intersint ab eclipsi usque ad oriens medium tot anni vel menses numerentur. Lune quoque notandum iter. Si enim velocius incedit, accelerantur

mala; si tardius, tardabuntur. Stelle quoque superiores notantur in eclipsi: quoniam si stantes reperiuntur, firmamento malorum adiciunt.

Summopere autem circa lunarem eclipsim 3 ante totidem retro. Circa solarem vero 7 ante totidem retro servandi sunt dies. In eis enim ab omnibus fere negociis abstimendum.

## De tempore mali

Nunc malorum adventus suis distinguendi sint temporibus. Ab oriente namque medie eclipseos quot inter sunt usque ad locum eclipsis in medio signa, tot mensibus transactis proventus ecliptice significationis presagiunt astrologi. Nam si tunc Sol vel ipsum oriens vel signum eclipseos intraverit, omnio rerum eventus movebit. Quod autem Sol in signo eclipseos movet, Luna in eius oriente incipiet. Et converso: quod motum fuerit a Sole in oriente eclipsis, Lune incipit introitus signum eclipseos.

Item si signum eclipsis vicinius fuerit orienti, intra 4$^{or}$ primos anni menses rerum eventus parat. Si decimo propinquius fuerit, in sequentibus quatuor. Si autem septimo, usque ad ultimos quatuor rerum auspicia differt. Nam ecliptica significacio nequaquam duodecim integros menses moratur.

Deinde notandum cum quo applicat Luna ab eclipsi evadens. Si enim in septimo infortunium fuerit cum quo applicet aut ad quod accedat, videndum erit si ipsa est in eius termino. Quod

si fuerit augmentum, est malorum; nam si non sit in eius termino, nec tantum erit malum. Locus quoque infortunii orientis notare oportet. Si enim in cardine fuerit, rerum eventus accelerat magisque solaris signi partibus, maxime vero qui eius circuli quarte fuerint: si scilicet circa caudam sit eclipsis. Si vero id infortunium Mars fuerit, multa lite et discordia gaudet, morbis etiam calidis afficiet, omnemque vim suam/ in impetu aget. Quod 120rd si sit Saturnus cronicis passionibus humanum vexabit genus, ventrisque dolore mortem inferet. Et si simul et infortunium stella sit feminina et in signo simili feminino, sexui manum inicit. Nam Mars adolescentibus timendus, Saturnus autem senibus. Et si cauda cum hiis sit, vulgo prorsus adversatur. Nam caput principibus.

Deinde lumina consideranda: que si cum fortunatis applicant in cardinibus fortunateque orientis terminive eius dominium gerant, simulque malivole sint averse, medietatem malorum deponunt; que si pariter cum utrique applicant, videndum erit cum quibus prius. Si enim cum benivolis: prius bonum inicium, exitus adversus excipiet; et econverso similiter. Deinde oriens eclipseos intuebere; cuius si Sol sive Luna particeps fuerit ipsumque beatum, malis resistet; quod si oriens infortunium de cardine respiciat, ipsum pariter cum partibus suis corrumpit.

De eclipsi per duodecim domos

Postremo eclipseos diversitas per omnes duodecim domos seu signa prosequenda, cuius absolutio finem operi imponat. Martis itaque locus ut magis timendus est, sic pocius per totum circulum consideratur. Intuendum enim qualiter se habeat ad eclipsim, sique eius signi sit particeps.

Si ergo Martem eclipseos ducem--id est potenciorem in eclipsi--et ipsam in Ariete invenire contingat, principibus quidem et equestri ordini commodus, vulgo vero fataliter adversatur. Exustiones quoque et lites acque controversias terris ecliptici signi minatur. Hic autem si Iupiter Lunam de loco firmo respexerit prout facultas feret, Marcie resistet immanitati. Caput etiam si circa se videat eclipsim, Marciam temporat violenciam. At vero si Solis eclipsis in Ariete contingat, ita ut principium eius in oriente, Mars autem in gradu principatu sui, regi Babilonio proprie clientele manus iniciet.

Cum autem in Tauro eclipsis fuerit, Mars autem muztali, Venere ab ipso sive a Saturno corrupta, muliebris sexus corrupcionem et frequentis prostibuli copiam significat; regibus quoque simul et gentibus ecliptici signi perniciosum, boum etiam et segetum dampna significat. Nam si forte ibidem circa caudam contingat gravissimam boum mortalitatem nunciat, peiusque Venere cum Saturno adusta; id namque muliebri sexui mortale.

Sique immixtus sit Mars, et terras scorti turpitudinem fedabit et omnis eius anni natos malicia acque perfidia contaminabit.

At cum in Geminis fuerit eclipsis, Mercurii locus principaliter notandus. Si ergo Mars vel Saturnus almuzzceuli repertus fuerit, Mercurius vero cum Marte, Luna ab altero eorum corrupta, controversias frequentes validamque hominum cladem, viarum quoque corrupcionem notant; valide eciam agentur venti per / 120vs omnes Mercurii regiones. Eodem pariter anno quicumque in Geminis nascentur statim occupabuntur morte certosque parentibus dolores relinqunt.

Cum autem in Cancro fuerit, infortunia vero, ut prediximus locata Lunaque corrupta, Iupiter aversus, multum frigus nivesque frequentes, raras autem pluvias significat. Discordiam etiam inter reges Cancri nunciat, simul et morbos in hominibus. In aquaticis corruptionem, cavernarum etiam erupcionem. Hic itaque si Iupiter de loco firmo Lunam respexerit, infortunia mitigabit. Ubicumque ergo fuerit eclipsis semper notandum que vel respiciant Solem aut Lunam, vel iunguntur cum ipsis. Si ergo Luna aversa infortuniis respecta sit, cotidiani usus necessaria corrumpuntur omniaque simul eius anni germina, lites etiam miscebuntur. Venus quoque si Marti coniuncta fuerit, nuptiis eius anni frequentes infert iras.

In Leone vero cum fuerit eclipsis Marte immixto, lites et discordias equestris ordinis terre motum ac gencium terrorem

significat. Solem ibidem si infortunia de locis firmis respexerint, orientalium regem magnum eo perimunt anno sicut in Ariete.

In Virgine vero cum fuerit, Lunaque cum Marte mixta benivolis aversis, famis gravitate Virginis regiones dampnant, nisi Mercurius infortuniis Iovis respectu iuvetur, ea tum que virginei fuerint dominii illesa non evadent.

Cum autem in Libra fuerit Saturno aut Marte almu.:teuli Arabum finibus litis ac discordie magnum cladis certum mandat nuncium. In Babilonie vero partibus frequentes pluvias, graves morbos.

In Scorpione quoque Marte vel Saturno almuzteuli eiusdem regionibus perniciosum est, famem etiam et lites densamque rabum mortalitatem significat.

Cum autem in Sagittario equestri ordini regumque apotecis incommodum. Hic si Iupiter in cardine a Luna inventus fuerit malo resistet. Sagittarii tamen natura illesa non evadet. Quod si pariter et Iupiter aversus acque corruptus sit, philosophie et religionis pericula pacientur.

In Capricorno quoque Marte almuzteuli latera hominum, quadrupedum nec non et seminum interniciem significat, malorum autem exaltacione gaudet quo si familiaris Saturnus de loco firmo respexerit aquarum elumen variamque rerum dampnacionem adicit. Iupiter autem si pentagono aut de cardine eodem respiciat, Marcie resistet iniquitati beneficium autem non impedit.

At cum in Aquario fuerit et Saturnus ac Mars almuzteuli, Iupiter autem aversus orientalium Ethiopiam et Nubiam usque ad insulas Indie dampna patrabunt.

In Piscibus autem eclipsis terre motus hominumque terrores crebrasque meniorum diruciones, rupium casus per mundi climata aget. Si Iupiter tamen respexerit prout facul/tas feret domicilium 120vd suum marcia liberabit violencia. Ubicumque demum eclipsis fuerit si circa caudam peius; at vero si Saturnus scilicet loco Martis almuzteuli super eclipseos, locus inveniatur cornicas citabit passiones.

Huc si Iovis accedat aversio potentia regum minuit, omneque terre et aqua intersticium, quod nos necessitatem vocamus, corrumpit. Malorum etiam sublimacionem, famem quoque gravem portendit. Quod si Iupiter aut Venus de cardine respiciat, omne malum pro vi sua minuetur. Nam potentissima Saturni malignitas in eclipsi quociens in domo Martis fuerit et Iove averso ipseque super locum eius exaltatus.

Nam si fuerit in domibus Veneris, Mars autem debilis, Venus conveniens cum Saturno, alacritatem rerum significat. Solis autem eclipsis cum Saturno deterior quam Marte, peior etiam in Ariete eiusque trigono; quo si Iupiter de cardine respexerit, malignitatem Saturni minuit.

Deinde locus eclipseos ab oriente notandus, simul etiam infortuniorum loca notanda proque stelle affectu acque statu locique dignitate et natura rerum accidentibus iudicandum.

Omnis etiam stella adusta sue parti nociva.

Post hoc medie eclipseos oriens in quo signo sit vel termino conscribendum locus etiam eclipsis in cuius decano sit vel termino queque stellarum de quove loco respiciant. Si igitur eclipsis in oriente pariter cum infortuniis fuerit, vite hominum minatur. In secundo possessionibus et ita per ordinem iuxta significationem cuiusque domus et naturam signi. Quod si in septimo sit Solis eclipsis, Saturnus in octavo, Mars autem orientalis in sexto aut oriente altera principum significat stragem in eo tamen climate qui eius fuerit orientis. Cum igitur eclipsis in signo terreo fuerit, et infortunia almuzteulia, terre motu valido crebraque scopulorum ruina humanum genus terrefaciet. In signis autem aquaticis ei nature similiter adversatur. Hic itaque si Lune dominus addens fuerit in alchezib--id est numero--pro nimietate nebularum et pluvie rerum venit corrupcio; si minuens, pro detrimento humoris. Infortuniorum quoque si respectus lumina corrumpat, siccitatem terris minantur.

Deinde Lune notanda eclipsis in eodem trigono simul con domino signi ecliptici et domino orientis acque terminorum quove Lune loco sit ab oriente. Si ergo Luna in ipso oriente aut cardine ab ipso sit aut dominus eius, ipseque de infortuniis prefatis, nebulas et pruinam diu mansuram significat, magisque si circa caudam. Hic enim et validos adicit ventos. Cum autem circa caput feri contingat eclipsim fere sine corruptione est.

At si Sol in hiis trigonis circa caudam paciatur unumque de infortuniis cum lumibus que post eclipsim ad aliud accedant infortunium omnio necessario celesti fluore omnia sata cor / rum- 121rs
pentur. Quod si non immixtum sit infortunium, sed quoquomodo respiciat, minoris erit efficacie. Nam si post infortunia cum omnibus iungantur, dabunt quidem pluvias sed inutiles et in postremo anni; contra vero si econverso fuerit.

Si vero eclipsis circa volatilis forme signa vel stellas fuerit; volatilibus nocet, magisque eis que humano data sunt usui. Sunt autem Virgo, Sagittarius, et addigeia nazar attair. In Piscibus autem et Cancro, Capricorno et Aquario: aquaticis. Cum autem in signis masculinis et directis fuerit, aeris corrupcionem temporisque signum sequentis notat. Item in Ariete fructus arborum ledit. In Cancro segetes dampnat, nilumque adauget. In Libra gramini et germinibus nocet. In Capricorno olera dampnat, volatilia perdit, aquatica necat. Item in Ariete et Libra templis templorumque cultoribus invidet. . Sed etiam in signis firmis edificia sternit. In bicorporeis homines ledit. Itaque si orientem versus, iuventuti insidiatur; ad occidentem, in senes irruit; circa summum, principibus minatur. Eorundem dampnum quociens Sol ubi longissimus dies id est in principio Cancri patitur, Luna vero ubi longissima nox, scilicet in principio Capricorni.

Demum in eclipsi Lune presertim servandus Saturni locus. Si videlicet trium eclipseos oriencium aliquid quoquomodo respiciat. Nec minus ipse locus eclipseos quo statu se habeat ad

oriens dominorum etiam status observandi simul et ad quos usque gradus radii eorum perveniant versus radios Solis et Lune. Dominum quoque Lune cum domino ecliptici termini consulere oportebit ipsisve maior vis in eclipsi an aliis concesserit.

Inter omnes igitur has modus respiciendi notandus, aut si sint averse, in sexto sive duodecimo; dominus etiam izticbel et loco et statu in consilium hoc assumetur. Omnino vero benivolarum sive noxiarum respectus ad eclipsim observandus.

Omnibus utique ratione et intellectu perspectis pro statu siderum et affectu certissima rerum veniunt. Ut si fuerit Mercurius eclipseos dominus puericie dampna flebit. Quod si Marte sit corruptus, crebro apostemate et Cancro gravique calore teneram afficit etatem; quod si Saturnus, premit ventositate ventrisque dolore ac nocturnis terroribus mercuriales fatigat annos. Sic etiam si in Ariete fuerit eclipsis capiti magis et oculis nociva et maxime si patitur in oriente. Hic itaque si Iovis aut Veneris succurrat interventus et Marti resistet et Saturnum placabit, at si Iupiter cum Saturno sit et Marte respectus, mali signo philosophiam et religionem invadet pro signi videlicet admixta natura qualiter dictum est de quadrupedibus sive aquaticis signis. Postremum autem eclipseos periculum / quociens domino eius adusto, 121rd Iove averso, Mars tetragono respicit. Sic et Saturnus pro modo status et habitus sui ad triplex eclipseos oriens iudicia variat. Quod si forte ipse in oriente inveniatur universo fere orbi minatur

magisque Marte in summo existente. Nam et si ambo in oriente sint, nihil emendant.

## De coloribus

Ultimo loco varie colorum significaciones astronomica ratione digeste, ducumque potentia dinumerata omnino fatidice finem assequuntur. Itaque si totus luminis globus eclipsi obruptus in nigrum transeat colorem omnibus quidem videntibus saturnia vis metuenda, gravissimam tamen signi nacionibus famem nunciat. Nam si rubeo colorata appareat, principem et equestrem dampnat ordinem, bellumque signi regionibus indicit. Rubrum autem cum albo mixtum iovialis nature dampna verumptamen levia presumit. Sed nigro permixtum, pluvias nocivas reddit, vulgo que valde fatale omen. Hiis accedit et ventorum quedam significatio. Nam unde ventus in hora eclipseos agitur eius terrarum partis certa nunciat pericula; hora vero hugile contra.

Deinde notandum in qua circuli quarta contingat eclipsis, nocte sive die. Nam si in prima sit, prelatis et sapientibus adversatur. In secunda vero, principes et equestrem ledit ordinem. In tercia vulgus dampnat. In quarta hominum necessariis inimica.

Consideratis igitur stellarum respectibus ad eclipsim, ipsoque eclipseos loco in quacumque sit dignitate omnibusque locatis

per circulum planetis, tum demum et fixe in iudicium venient. Non omnes quidem: infinita siquidem hominis excedunt ingenium. Sed inter nominatas eam que vel in oriente termino vel in summo, seu proxima loco eclipseos inventa fuerit, eam inquam pro natura ecliptice adversitatis nunciam statuemus.

Deinde sciendum quoniam Sol et Luna ut in effectibus stellarum principatum optineant sic passionis sue dampna mundi sensibus insinuant. Eis vero presertim periculosa luminum passio terre partibus qua vel ipsius signi fuerit vel principatus seu cuiuscumque dignitatis. Ad hec et eis que orientis atahuvil et orientis elkiren dominio parent. Hiis autem segregatis, deinde natura mali ex ipso colligitur duce: utpote si tristis. Saturnus Solusque ducatum eclipseos obtineat, frigoris et nivium largus. Sub hoc vero duce si eclipsis humana fuerit ex melancolia cronicas producit passiones ventositate gravi universo fere hominum generi incumbet; principua tamen mortalitate principes dampnat. Ac si quadrupedum ducat eclipsim, quadrupedibus nocens et escam eorum hominum inquinat.

Cum aerie prefuerit eclipsi auras dampnat, aerem obscurat graves immittit nebu / las frigore et siccitate semet. Nam aquatice 121vs prestitutus nichilominus aquas turbat, fluctus irritat, navigiis insidiatur, aquaticis perniciosus.

Terree vero prelatus nichil humane compaciens, necessitati semina suffocat, germina dampnat, fructus negat gravique

mortalitate fame afficit.

At vero cum optimus iupiter eclipseos vexilla Solusque suscipit tamquam humanus humanam pre omnibus tuetur salutem et fortunam. Nam et si brutorum ducat eclipsim, velud industria quadam secernens ea que hominibus favent salvat, que vero nocent condempnat. Aerie quoque prelatus aerem prorsus ad libitum et necessitatem hominum variat. Nec minus in aquis suum genus hominum incolume eorumque utilitatem servat. Nam terream ducens eclipsim nichil eque postulat quoniam, ut omnibus terre debitis familiaris, affluat humanitas.

Cum autem ipsius Mars eclipseos ducatum invaserit arma exserit, bella miscet, sanguine terram humectat. Nec dum furore posito quibus arma nequit extrinsecus inferre intrinsecus cuius letiferos infert calores confusaque bonorum concordia tamquam premio prelio quodam nature gaudet discordia. Aeriam autem occupans eclipsim, aerem distemperat, terras exurit, aquas exsiccat, naufragiis exultat: nam quadrupedum quoque gubernans. Sive terream eclipsim, nichilominus omnia fervore nimio condempnat.

Venus autem cum in eclipseos ducatum advocata concesserit, Iovi suo per omnia nititur adequari;nam si humane presit eclipsi multa simul adicit hymenei gaudia et sic deinceps ad disciplinam Iovis sui per omnia gratulabunda respondet. Neuter autem Mercurius ut levis est, et sic cui iunctus fuerit, ad eius naturam

iudicus respondet. Si vero Soli commissus fuerit eclipseos ducatus, itinera expedit, ventos agit, mercature negocia celeriter absolvit quadrupedibus etiam et arboribus proficit. Aquatice vero prestitutus, si orientalis fuerit, aquas auget; si occidentalis, minuit iuxta ceterarum consuetudinem. Qui si mixtus fuerit benivolis, earum affectibus addit; si noxiis, et earum iuvat affectus.

Generaliter autem quociens malivole in loco alacri benivolis respecte fuerint tamquam verecondia quadam et domestico delivite gaudio violencie sue pereunt. Contrario vero benivole incommoditate loci noxiarumque vi oppresse, minus fiunt efficaces.

Explicit Fatidica Zeel Benbixer Caldei Hermanni translacio sextus astronomie liber. / 121vd

# DE INDAGATIONE CORDIS

## ‹Pars prima›

Incipit Hermannus De Indagatione Cordis. O144rd

Hic liber maioris in astronomiam commenti ALBUMASAR ‹al-Balchi›.

Iudiciorum ducatus quadrifariam partitur. Primum est a quo sumitur pars quelibet. Secundus ad quem. Tercius a quo incipit compotus. Quartus locus ipse in quem sumpta pars incidit.

Partes igitur quot ex omnibus Persarum, Babilonie atque Memphiticis collecte sunt libris XCVII (id est 97) numerantur tripartita discrete differentia. Alie siquidem sunt planetarum. Alie domiciliorum Alie sua seorsum necessitate quadam adhibite.

Ille ergo que planetarum sunt totidem sunt numero et queque sue stelle nomine potitur.

Earum vero que domiciliorum sunt multiplex est per ordinem subdivisio atque iuxta generis diversitatem vocabulorum proprietas.

### ‹Partes domiciliorum›

Orientis etenim sunt 3. Prima est pars vite; secunda sustentationis; tercia rationis et sensus.

Secundi sunt tres: prima possessionis; secunda mutuandi;

tercia inveniendi.

Tertii tres: prima fratrum; secunda numeri fratrum; tertia mortis fratrum.

Quarti octo: prima parentum; secunda mortis parentum; tercia pars avorum; quarta generis parentum (id est nobilitatis); quinta fundi iuxta HERMETEM; sexta iuxta Persas ad idem; septima agriculture; octava finis rerum.

Quinti 5: prima prolis; secunda hore et numeri natorum; tercia prolis masculine; quarta prolis feminee; quinta cognitionis utrum scilicet masculus sit an femina.

Sexti 4: prima pars infirmitatis iuxta HERMETEM; secunda etiam iuxta alios; tercia servorum; quarta captivorum.

Septimi 16: prima desponsationis virorum iuxta HERMETEM: secunda eiusdem secundum welitem; tercia qua viri mulieres alliciunt; quarta con iendi marem cum femina; quinta adulterii viri; sexta desponsationis femine iuxta HERMETEM; septima eiusdem iuxta MESSEHALLAM; octava qua femine mares alliciunt; nona conveniendi feminam cum mare; decima adulterii femine; undecima castitatis femine; duodecima desponsationis utriusque sexus; tredecima hore desponsationis; quartadecima modi desponsationis; quintadecima cognatorum; sextadecima controversiarum.

Octavi 5: prima pars mortis; secunda stelle necantis; tercia anni timendi; quarta pars loci periculosi; quinta angustie.

Noni 7: prima pars vie; secunda navigii; tercia religionis;

quarta ingenii; quinta sciencie; sexta memorie ⟨placitandi et⟩ fabularum atque id genus; septima pars mandati utrum verum sit an falsum.

Decimi 12: prima diviciarum nati patrisque discretionis; secunda regni; tercia principii; quarta victorie ac vinculorum; quinta subite exaltationis; sexta pars prosperitatis divitum atque nobilium; septima sequacium regis et militie; octava officii in regno; nona operis manualis; decima mercature; undecima operis debiti; duodecima pars matris. / 144vs

Undecimi xi prima divitiarum; secunda amoris inter homines; tercia cognationis inter homines; quarta deliberationis rerum; quinta deliciarum; sexta spei; septima amicorum; octava penurie; nona habundancie; decima ingenuitatis; undecima bone existimationis.

Duodecimi 3: prima inimicorum iuxta HERMETEM; secunda eiusdam iuxta alios; tercia laboris et pene.

Atque hee sunt domiciliorum partes 80 numero.

⟨Partes tercii generis⟩

Restant tercii partes generis que x numerantur: prima pars alhyleg; secunda corporis viciosi; tercia audacie et strenuitatis; quarta angustie in pugna; quinta fraudum et doli; sexta affectuum et desiderii; septima rerum impedimenti iuxta Egyptios; octava eiusdem iuxta Persas; nona retributionis;

decima veracis effectus.

## ⟨Partes stellarum⟩

Ex hiis igitur que stellarum sunt prima est pars Lune que quoniam Sol diurnum vite fortuneque rerum lumen est, Luna vero nocturnum, die a Sole ad Lunam nocte econverso sumitur. Sumpta vero ratione quantum exortum est signum oriens adicitur totumque hoc a principio signi orientis inceptum per gradus equales deducetur. Ubi ergo numerus desierit in eo gradu et puncto erit pars Lune quam zahmazada--id est partem fortune--vocant. Quod si luminaria in eodem gradu fuerint in gradu oriente consistet. Ad eadem omnia quibus luminaria presunt secularia quadam virtute ducens in eorum que forinsecus accidunt fortuna. Nam Solis pars quoniam ut pars Lune pro lunari officio magis ad corpus spectat sic ad eorum que animo accidunt pro Solis debito fortunam ducit. Die a Luna ad Solem, nocte converso sumitur. Atque ut illa adiectis gradibus exortis a principio orientis incipit cui nomen zahmalgaib--id est pars celati, id est intrinseci boni.

Pars quoque Saturni quibus ipse similiter secundario modo preest sumitur autem in die a gradu partis celati ad gradum Iovis, nocte converso sumpta. Martis quoque similiter die a Marte ad gradum partis fortune, nocte converso.

Nam Veneris pars ad eundem modum: die a parte fortune

ad partem celati nocte converso tractatur sumpta.

Non aliter pars Mercurii: die a parte celati ad partem fortune, nocte converso.

Omnes igitur hee precedencium ducum partes officium secularia quadam efficacia sequentur. Deinde domiciliorum partes per ordinem sequentur. / 144vd

## ⟨Partes domiciliorum⟩

Trium quidem orientis partium. Prima pars vite que die a Jove ad Saturnum nocte converso sumitur, adiectoque quantum transiit orientis signi totum hoc a principio orientis incipiet. Secunda pars sustentationis: die a parte fortune ad partem celati nocte econverso. Ac deinceps ut ante. Tercia pars rationis et sensus: die a Mercurio ad Martem nocte econverso.

Trium secundi partium. Prima est questus: die noctuque a domino secundi ad gradum secundi sumpta, adiectisque ab orientis gradibus ex orientis principio incipit. Secunda mutuandi: die noctuque a Saturno ad Mercurium sicque ab orientis principio incipit. Tercia pars inveniendi: die a Mercurio ad Venerem nocte econverso sicque deinceps.

Trium tercii partium. Prima fratrum: die a Saturno ad Jovem nocte econverso. Secunda numeri fratrum: die noctuque a Mercurio ad Saturnum. Tercia mortis fratrum: die a Sole ad cardinem celi nocte econverso.

Quarti 8 partium. Prima parentum: die a Sole ad Saturnum nocte econverso. Secunda mortis parentum: die a Saturno ad Jovem nocte econverso. Tercia avorum: die a domino solaris hospicii ad Saturnum nocte econverso. Quarta generositatis: die a Saturno ad Martem nocte econverso, sicque a principio Mercurialis hospicii incipiet adiecto quantum in eo signo pertransivit Mercurius. Quinta hereditatum iuxta HERMETEM: die nocteque a Saturno ad Lunam sicque ab oriente incipiet. Sexta eiusdem iuxta Persas: die a Mercurio ad Iovem nocte econverso. Septima agriculture: die noctuque a Venere ad Saturnum. Octava rerum finis: die noctuque a Saturno ad dominum conventus aut oppositionis.

Quinque quinti partium. Prima est prolis: die a Jove ad Saturnum nocte econverso. Secunda hore ⟨partus⟩ et numeri natorum: die noctuque a Marte ad Jovem. Tercia nati masculi: die noctuque a Luna ad Jovem. Quarta femine: die a Luna ad Venerem nocte converso. Quinta numeri filiorum atque discretionis sexus: die a domino Lune ad Lunam nocte econverso.

Quatuor sexti partium. Prima egritudinis et cronice iuxta HERMETEM: die a Saturno ad Martem. ⟨Secunda egritudinis aliorum: die noctuque a Mercurio ad Martem.⟩ Tercia servorum: die noctuque a Mercurio ad Lunam. Quarta captivitatis et vinculorum: die a domino Solis ad Solem, nocte a domino Lune ad Lunam sicque adiectis gradibus exortis ab oriente incipiet.

Sexdecim $7^{i}$ partium. Prima desponsationis viri

iuxta HERMETEM: die noctuque a Saturno ad Venerem, sed iuxta Grecos a Sole ad Venerem. Pars qua viri feminas aliciunt desponsationis, etiam iuxta Grecos, eodem modo. Similiter adulterii pars / virorum. Pars conventus viri cum femina, ut desponsationis femine iuxta Grecos. Pars desponsationis femine apud HERMETEM: die noctuque a Venere ad Saturnum; iuxta Grecos die noctuque a Luna ad Martem. Pars qua femine viros alliciunt. Pars que stupri femine, ut desponsationis femine iuxta Grecos sicque conventus femine cum viro. Pars castitatis femine ut pars nate femine. Pars desponsationis viri cum femina iuxta HERMETEM: die nocteque a Sole ad Lunam. Pars studii in conficiendo coniugio: die noctuque a gradu Solis usque ad Lunam sicque a signo Veneris inchoat adiecto quantum permeavit. Pars cognatorum ut desponsationis iuxta HERMETEM. Pars controversiarum: die a Marte ad Jovem, nocte econverso sicque ab oriente inchoabit.

Quinque 8[i] partium. Prima pars mortis: die noctuque a gradu Lune ad gradum 8[i] adiectoque quantum Saturnus permeavit a principio eius signi inchoabit. Secunda pars stelle necantis: die a domino orientis ad Lunam nocte converso sicque ab oriente incipiet. Tercia pars anni timendi: die noctuque a Saturno ad dominum conventus aut oppositionis sic ab oriente incipiet. Quarta pars loci periculosi: die a Saturno ad Martem nocte converso adiectoque quantum Mercurius permeavit a

principio eius signi inchoabit. Quinta involuti et angustie: die a Saturno ad Mercurium nocte econverso sicque ab oriente incipiet.

Septem $9^i$ partium. Prima pars itineris: sie noctuque a domino $9^i$ ad gradum $9^i$ sicque ab oriente incipiet. Secunda navigii: die a Saturno ad 15 Cancri sicque ab oriente incipiet. Quod si Saturnus sit in 15 Cancri ipse Saturnus et oriens navigii ducatum obtinebunt. Tercia pars religionis: die a Luna ad Mercurium nocte converso. Quinta pars sciencie: die a Saturno ad Jovem, nocte econverso adiectoque quantum Mercurius permeavit ab eius signi principio inchoabit. Sexta pars rumorum et fabularum: die a Sole ad Jovem nocte econverso. Septema pars verum an sit mandatum aut falsum accipitur ut pars servorum.

Duodecim $x^i$ partium. Prima pars est potestatis nati: die a Sole ad 19 Arietis nocte a Luna ad tercium Tauri sicque ab oriente ⟨deducitur⟩. Quod si Sol N. . Arietis aut Luna tercium Tauri obtineat is gradus oriens obtinebit. Pars regis: die a Marte ad Lunam nocte converso. Pars principum et consulum regis atque artificii liberalis: die a Mercurio ad Martem nocte econverso. Pars vinculorum regis et victorie: die a Sole ad Saturnum nocte econverso. Quod si Saturnus interim adustus sit, / die a Sole ad 145rd
Jovem nocte econverso. Estque hec pars cognata parentum parti. Pars subite exaltationis: die a Saturno ad partem fortune nocte econverso. Estque cognata parti Saturni. Pars prelatorum inter

homines: die noctuque a Mercurio ad Solem. Pars sequentium et militie regis: die a Marte ad Saturnum nocte econverso. Pars officii in regno: die noctuque a Saturno ad Lunam. Pars operis manualis et mercature: die a Mercurio ad Venerem nocte econverso. Pars mercature iuxta Persas: die a parte celati ad partem fortune nocte econverso. Estque hec pars cognata parti Mercurii. Pars ministerii debiti: die a Sole ad Jovem nocte econverso. Pars Matris: die a Venere ad Lunam nocte converso.

Undecim $xi^{i}$ partium. Prima est pars divitiarum: die a parte fortune ad partem celati nocte econverso. Pars notitionis inter homines et precii: die a parte fortune ad Solem nocte econverso. Pars deliberationis et constancie: die a parte fortune ad Jovem nocte econverso. Pars voluptatis: die a parte fortune ad partem celati. Pars spei: die a Saturno ad Venerem nocte econverso. Pars amicorum: die noctuque a Luna ad Mercurium. Pars penurie: die noctuque a parte celati ad Mercurium. Pars habundancie: die noctuque a Luna ad Mercurium. Pars ingenuitatis cum die a Mercurio ad Solem nocte econverso. Pars bone existimationis: die a Jove ad Venerem nocte econverso.

Trium 12 partium. Prima est pars inimicorum iuxta antiquiores: die noctuque a Saturno ad Martem. Pars inimicorum iuxta HERMETEM: die noctuque a domino $12^{i}$ ad gradum $12^{i}$. Pars pene: die noctuque a parte celati ad partem fortune.

## ⟨Partes tercii generis⟩

Restat tercium genus quod supranominatum est ratione prosequi. Pars alhyleg: a gradu et puncto conventus sive oppositionis ad gradum Lune sicque ab oriente incipiet. Pars corrupti corporis: die a parte fortune ad Martem nocte converso. Pars militie et animositatis: die a Saturno ad Lunam nocte converso. Pars audacie et pugne: die a domino orientis ad Lunam nocte converso. Pars fraudis et doli: die a Mercurio ad partem celati nocte converso. Pars necessitatis et desiderii: die noctuque a Saturno ad Martem adiectoque quamtum Mercurius permeavit a loco Mercurii incipiet. Pars impedimenti iuxta Persas: die noctuque a parte Veneris ad Mercurium sicque ab oriente incipiet. Iuxta Egyptios: die noctuque a Marte ad domicilium fratrum. Pars retributionis: die a Marte ad Jovem nocte converso. Pars veracis effectus: die a Mercurio ad Martem / nocte converso 145vs
sicque ab oriente incipiet.

## Sentencia dirigendi

In disponendis stellarum radiorum orientibus, iuxta Persarum sentenciam diligenter primum computari oportet gradus equales a principio Arietis usque ad locum stelle totusque numerus inter orientia recti circuli requiratur quotque equales designaverit; gradus totus est dexter stelle tetragonus. Verbi gratia: stelle in 20 Geminorum gradu tetragonum inventuri sumimus 80 gradus, qui in recto circulo gradus equales 19 Piscium

designant. Orientium autem recti circuli 79 gradus 54 puncta supersunt 5 puncta solum. Dicimus itaque stelle eius dextrum tetragonum in 19 Piscium gradibus ac 4 punctis incidere, cuius oppositum in Virgine tetragonus sinister. Ad inveniendum deinde exagonum, a gradu stelle usque ad sinistrum eius tetragonum sumimus, et quotcumque inter fuerint gradus equales tocius numeri bisse loco stelle adiecta sinistrum stelle exagonum conficit, euius oppositum dexter eius trigonus est. Nam trigonus eius sinister quotiens sumendus fuerit, a sinistro stelle tetragono usque ad oppositum stelle sumimus, tociusque numeri triens sinistro tetragono adiectus, sinistrum stelle trigonum conficit, cuius oppositum dexter eius exagonus est.

⟨Pars secunda⟩

Quibus modis fiat via iudiciorum

Astronomie iudiciorum omnimodo bipartita est via: una siquidem est questionum genezie sive etiam annalium. Altera, consilii et cogitationis hominum et rei abscondite personarumque proprietatis. Que ut natura diversa creavit, ita ad intellectum eorum astronomie speculatio dissimili ratione ducit, cuius specierum suus quemque tractatùs exequitur.

Primum itaque nobis est quemadmodum MESSEHALLA tradit: siderum stellarumque natura quantum hoc genus postulat speculanda; tum ut HERMES exponit quantum de accidentibus

eorum attinet prosequendum. Postremo qua indagine dux omnis huius artificii eligi possit simulque adminicula eius adhiberi insinuabimus.

## ⟨De natura 12 signorum⟩

Signorum igitur 12 principalia sunt, quorum quedam ignis naturam sorciuntur, cuius generis primum Arietis natura est ad omne incidum levigatum igneque excoctum ducit ut sunt metalla preciosa ut aurum et argentum et hiis similia. Leo lucidis quoque applanatis preest et que magni precii sunt; qualis est iaccintus, smaragdus atque id genus, nisi Sol aut Mars duci sit iunctus; sic enim tunc cuprum aut ferrum. Sagittarius infra subsistens quod vilius est; in hoc genere notat ut sunt gypsus, lateres, tegule et testilia hisque simile igne excoctum.

Secunde dignitatis sunt aeria ex quibus aliquod/est Gemini 145vd
ductus primum ad homines tum ad animancia levis parvique corporis cui manus pedesque sint aut pluma. Libra item ad id cui pedes sint et forme diverse varii coloris cuius pars parti dissimilis de gravioribus animancium. Aquarius ducit ad vilia ut sunt aquarum quadrupedia aut stercoralia, id est terre reptilia.

De hiis que sunt terree nature ut Taurus ducit ad altiores arbores quarum fructus in usum conceduntur. Virginis sunt que irriguum postulant ut segetes, linum, bombax et olera. Capri-

cornus: arbores spinose, arbusta virgulta arundinetum victus et gramina.

De aquaticis: Cancri inter animancia aquatica possidet ut cancros, testudines atque id genus nisiLuna pariter in aquatico sit. Sic enim ducit ad aquam gelatam aut excoctam ut est sal aut zuccarum hisque similia. Scorpius est multa aquositas omnisque gravis humor et commixtio quale est lutum coagulatum aut aliquid commassatum atque id genus. Piscium sunt cetera piscium genera. Nam terras corpusque humanum hoc ordine partiuntur.

### Que signa quibus membris et quibus regionibus presint

Aries siquidem: Persiam et Babiloniam et de homine caput et faciem. Tauri: collum. Geminorum: brachia et de terris Armenia maior et Memphis. Cancri: pectus et Armenia minor. Leonis: dorsum et de terris Parthia. Virginis: venter et Furaa. Libre: ylia et femora et de terris, Roma et hinc ad Affricam, inde ad confinia Memphis. Scorpionis: inguen et Arabum ruricole. Sagittarii: clunes et coxe, cenobia et oratoria. Capricorni: genua, valles et Mauri et India. Aquarii: tibie et agricole. Piscium: pedes, Aracoa et a Roma usque ad Siriam.

## Continuatio signorum in variis

Sequitur deinde quod oriens vitam hominis et animum corpusque designat. Secundum: possessionem hominis questusque et substanciam. Tercium: fratres et sorores. Quartum: parentes, fundum, et rerum fines. Quintum: prolem, nuncios, dona. Sextum: servos egros bestias. Septimum: sponsalitia, coitus, adversarios, controversias. Octavum: mortem et metum. Nonum: iter, sompnia, sapientiam, legem Decimum: dominia, regna, et artificia. Undecimum: regnum, pecunias, spem. Duodecimum: inimicos, carcerem et iumenta.

## Quibus regionibus planete presint

De stellarum vero proprietatibus hec sunt dicenda: / 146rs

Solis vero sunt principes et reges et de terris Roma et Anicosea. Saturni sunt senes et vulgus et Alpes et de terris Hibernia et Muetica loca et saxosa. Jupiter habet Mediam, Persiam, Babiloniam, prelatos, iudices, et amicos. Mars habet arma et militias et de terris Siriam. Venus habet mulieres, cibos, potum, indumenta preciosa et de terris Arabiam cum marte. Mercurius: mancipia, mercatores, libros, India. Luna: nuncios, mandata et matres, Parthiam et Armeniam.

Que cum ita nature stellarum quoddam modo subiecta sint per totum circulum per locorum mutationem, accidencium sit varietas; variisque inter se applicationibus, effectuum sit

alteratio. Hinc etenim est quod orientales juvenibus rerumque novitati presunt; occidentales econtra. Retrograde: involutionibus et reversionibus; directe contra. Sublimes et addentes, augmentum; depresse et minuentes, detrimentum. In dignitatibus suis, fortes; extranee, debiles.

### De sensibus

Sunt enim in homine luminum, visus; Saturni et Jovis, auditus; Martis et Veneris, odoratus; Mercurii, sermo.

### De ascendente

Hiis conspectis primum necesse est oriens certissime constitui, cardinesque celi firmari ut locorum stellarum certa possit esse discretio. Nonnichil enim est inter celi cardinem proprio in loco consistere aut in nonum aut in undecimum incidere, hiis enim in discretis plerumque accidit stellam in oriente locatam in secundo esse aut in $12^{o}$ cuius non est levis error. Id igitur cum acciderit maiori parti concedetur. Hiis ordinatis tota deinde artificii industria in eligendo rei ducem consumitur.

Quo invento tum demum testimonia conpetencia adhiberi convenit. Nunc non iudicando statim antequam omnia ducis

testimonia integre sint concepta consiliaque pertractata. Quod ut caute saneque fiat primum locum ipsius ducis principalis, tam naturalis quam accidentalis, ipsiusque tam natura quam accidencia pertractanda sunt. Deinde dominia, applicationes et separationes; deinde quoque eius locus, vis et modus. Quibus diligenter integreque prospectis, nichil est quod cautum ingenium involvere possit.

De oriente

Postquam igitur ut RASIS docet oriens gradibus et punctis constitutum ceteraque ut sese sequimur domicilia ordinata stellarum quoque gradus et puncta firmata fuerint, tum demum primo loco ducis indago iuxta MESSEHALLE sententiam prosequenda. Neque enim ut ait MESSEHALLA dux / aptus est nisi aut 146rd dominus orientis fuerit aut principatus orientis aut dominus trigoni primus aut gradus orientis vel ⟨haizehu⟩ aut dominus hore. Addunt alii de domino decani et de domino termini. Quod si omnes hii ceciderint nullusque inter omnes aptus fuerit diurnaque fuerit questio Sol consulendus erit; si nocturna Lune consilium adhibendum aut dominus partis fortune. Quod si hii omnes adversi fuerint ut nullus omnium aptus relinquatur, Lunam amplectemur die noctuque ubicumque locorum sit.

⟨DOROTHEI⟩ vero sentencia est ut a gradu domini hore ad gradum domini orientis numerus graduum sumatur totusque

compotus adiectis Solis gradibus ab ipso Solis gradu incipiet aut a cardine medii celi unicuique signo scilicet 30 gradus assignando ubi ergo numerus desierit inter dominos eius signi eiusque termini conferetur. Qui igitur familiarius extiterit cuique plurimum concesserint testimonia is nimirum ducatum obtinebit.

## Quot sint dignitates planete cuiuslibet

Possumus autem et hoc modo invenire ducem, ut dignitatum stellarum partes computentur, et cui plures concesserint, melius constiterit, is obtinebit.

Cuiusmodi vero est partium distributio: orientis dominus 18 vendicat. Dominus principatus, 13 dum in ipso gradu sit orientalis. Dominus trigoni primus, 10; dominus termini, 6. Hac discretione adhibita id observandum est quoniam in cardinibus partium numerus integer est; extra cardines, diminutus ad hunc modum. Dum vero in $3^o$ fuerint aut $9^o$ aut $5^o$ aut in $xi^o$ bissem retinent. In aversis 4, in $2^o$ $6^o$, $8^o$, $12^o$: trientem. Hiis diligenter prospectis, cui plures concesserint partes, meliusque constiterit, is nimirum obtinebit ducatum.

MESSEHALLA vero: inter omnia providendum est inquid quis in oriente plures habeat dignitates. Domicilii siquidem sunt 5. Principatus, 4. Termini, 3. Primi dominorum trigoni, 2. Decani, unus. Qui enim plus habuerit in oriente fortiorque familiarius locatus fuerit, eum obtinere planum est. Is qui in oriente est,

ut MESSEHALLA docet, 12 habet partes. In 10°, xi habet partes. In xi°, 10 partes. In 5°, 9 partes. In 7°, 8 partes. In 4°, 7 partes. In 9°, 6 partes. In 3°, 5 partes. In 2°, 4 partes. In 8°, 3 partes. In 12°, 2 partes. In 6°, unam partem. Atque id iuxta ⟨DOROTHEUM⟩, nam plerique cardines non ponunt.

. Testimonia.

Deinde conpetentia adhibenda sunt testimonia domini scilicet hore, dominique diei: die quoque Solis; nocte, Luna atque partis fortune. Hec enim omnia ducis inde adaugent ducatus que viam dirigunt. / 146vs

Ordine tali et hoc modo deprehenso duce firmatisque testimoniis, intuenda est ducis integritas et ipsius equitas. Est enim integritas ut sit in domicilio suo aut principatu aut trigono aut termino aut decano aut gradu aut haizehu. Equitas autem est ut sit vel in oriente vel celi cardine vel occasu vel cardine terre nec adustus nec sub radiis Solis nec in casu suo nec retrogradus nec infortuniis iunctus non oppositus nec in eorum tetragono.

Sic enim constituto non erit de aliis qui hunc prohibeant inquirendum. Quod si que predicta sunt minus fuerint, sitque inimicus prohibens, quo dictum est modo locatus prepotens impleri necesse est; sin autem sanus sit ducis tenor tum Lune testimonium adhibendum nisi forte, ducatum ipsa optinuerit tunc enim duplex fit eius testimonium. Que causa est ipsam principaliter amplecti, dum aut orientis aut principatus aut trigoni dominium obtineat, presertimque recepta ceterisque minus aptis.

## Quot sint impedimenta Lune

Impedimenta vero Lune que huic ducatum prohibeant 5 sunt numero, quam ita involutam necesse est ducerę ad furta, fugitivosque in locis absconditis subfossis et controversias. Primum igitur impedimentum est eam esse sub radiis. Secundum, in oppositione. Tercium, ligatam infortuniis. Quartum, in domiciliis esse infortuniorum aut terminis aut conventu aut iuxta caput vel caudam. Quintum, non respectam esse a domino suô aut solitariam incedere.

## Quid valeat dux et ubi

Tripartita est igitur omnino ducis sentencia: una siquidem est dum solitarius intendit, nulli applicans, nullus illi. Altera dum cum aliis fuerit fortiter. Quotiens igitur dux solitarius nulli respectus in oriente fuerit, cogitatio nimirum querentis de ipso est aut re propria proprioque negotio; similiter per ceteros cardines in eis significat vero que accedunt vel de re aliqua adveniente. In remotis de transacta et preterita sive que de potencia querentis exierit.

In 2$^{o}$ igitur de familiaritate locatus de possessione aut questu aut ministris atque id genus.

In 3$^{o}$ de fratribus et propinquis et cognatis et visionibus.

In quarto de parentibus, de fundo vicis, supellectilibus, ponderibus, sciencia veterum atque acriter incarcerato. Est

enim terre cardo strictissimus carcer. Nam sextum et duodecimum, non adeo.

In 5 de prole, parentumque pecuniis, amico amici, fratre fratris.

In 6 de servo egro, bestiis quadrupedibus, patribus aut patruelibus, amico matris aut avunculo.

In 7 de consortiis, coniugibus, adversariis, avo. Aut ei simili, controversiis inter ipsum et mulierem, presertim si septimum femineum est.

In 8 de ministris coniugum, et morte mortuive substancia, id est reliquiis rebus antiquis, fugitivo aut furto.

In 9 de profectu aut itinere, sompnio, viro legali--aut lege aut pontifice--precone noto in divinis officiis, fratre amici, servo parentis.

In cardine celi, de sapientia artificiis, viro ruricola; de rege aut cliente / regis, aut socero, aut noverca. 146vd

In 11°, de amicis aut conplicibus in artificio, aut ministris regum et ex[illegible]nsis aut consortiorum prole, sive adversariorum 4 privignis.

In 12 de passionibus, inimicis, stultis, amicis artificum, servis coniugum; de re amissa aut fugitivo aut re furto sublata.

Cum itaque tot tamque diversa eisdem domiciliis inficit, discretio rerum ducis consilio captatur. Verbi gratia, septimi sunt coniuges, captiones, adversarii. Si ergo 7 dominus Mars

fuerit, questio fit de controversiis et inimicis. Si Venus, de coniuge et gaudio. Si Jupiter, de cambitione et participatione; sicque omnium signorum atque domiciliorum permixtiones, ducis consilium discernit.

Nec pretereunda loci natura, ut si tercii dominus in 5° fuerit, questio fit de prole fratris aut sororis; atque est huius discretio si tercium masculum sit aut dominus eius masculus, fratris proles in questione est; si femina, sororis. Idque ingenium in omnibus adhibendum, nec discedendum a Lune testimonio. Quoniam enim una finitima terris celestium in mundo inferiorum ducatum obtinuit. Id autem est ut servato ducis loco notetur: si Luna eius locum respicit, firmissimum est iudicium, presertim si loci ducis particeps fuerit Luna; quod si minus fuerit, debilius. Sciendum autem quod si Luna aut orientis dominus aut principatus est aut trigoni aut termini, sive faciei fortis familiariter locata sit, ipsa obtinebit ducatum. Nec omittendum testimonium stellarum participum orientis. Atque actenus que dicta sunt duci solitario conveniunt, quando nec applicat ulli, nec ullus sibi.

Deinde iuxta applicationes ducatus diversitatem persequamur. Dux cum cauda vel capite in 4° aut 5°, de pecunia subfossa.

### De proprietate ducis

Universis huius artificii preceptoribus, visum est quotiens

dux in casu suo reperitur plane signum esse furti aut captivi aut rei perdite. In transitu vero de signo ad signum, motus localis aut vie. Quotiens orientis aut secundi dominus 4m occupat aut converso, de fundo aut pecunia suffossa aut adhuc apparente, et ad hunc modum, de ceteris. Dux cum capite in principatu suo aut $10^{o}$, de rege. In domicilio, questus thesauri iudicium est. Cum cauda, controversie aut incantationum, presertim si Mercurius testatur. Nec aliter, dux cum Venere, Marti respectus. Dux enim 8 aut 3, domino applicans, de morte iudicat aut metu. Dux ad retrogradandum stans viatoris signum est revertentis. Stans ad dirigendum, signum est rei quoniam dirigatur. Dux cum Saturno, Mercurio respectus, aut cum Mercurio Saturno respect[illegible]gitationes incantationesque; sicque adustus. Nec aliter in terminis Mercurii aut Saturni, de demoniis prodit. Luna cum duce, sermonem indicat aut controversias. Nec aliter dux Marti coniunctus. Quotiens hospicium ducis signum igneum Mercurii respicit, de alkimia / indicat; humane forme, de 147rs pugna. Sique Mars inibi oriens Mercurii domicilium aut principatus aut locus cuius particeps sit, Mercurius inibique dux, Mercurio respectus, questionem dat de libris aut re figurata aut aliqua sapiencia re vel artificio confecta. Atque ad hunc modum ceterarum stellarum vires, pro locorum qualitate prosequimur; dum dignitates earum dux optinens eis applicat, vel ipse illi, sic enim omnino ducatus firmus est. Cum enim dux applicat alii, aut alius illi, statim ad applicationem inspiciendum

est et separationem, id est cui vel ipse applicat vel quis sibi. Aut vel quis ab ipso separetur, aut a quo ipse. Qui enim duci applicat, aut cui dux, eius naturam atque accidens comitatur. Cumque alius duci, duxque alii, is preripiendus erit qui propinquior orienti fuerit.

Id autem est ut inter utrumque conferatur hoc modo. Qui enim vel orientis vel secundi atque deinceps, ante alium dominus extiterit is equidem propinquior erit. Si enim orientis dominus fuerit questionem fert de ipso atque negotiatione propria. Secundi vero quia proximum est orienti, de possessione et questu et ministris. Tercii, de fratribus propinquis, cognatis, visionibus atque id genus.

Atque ad hunc modum cetera per ordinem ratione qua dictum est exequamur adhibita semper participatione, tam cum duce, quam cum applicante aut cui applicatur. Id autem est quoniam si Luna applicat ei stelle aut eam respicit, certus est ducatus, firmumque testimonium stelle participis orientis, qua de Luna dictum est ratione. Hec igitur cum ducem aut amice respexerit aut ipsi applicarit, testimonium firmans, errorem negat. Atque ad hunc modum ducis judicium testiumque applicationem prosequimur, de re videlicet ipsa que in questione inciderit.

### De duabus circunstantiis questionis

Restant due questionis circunstantie. Prima est motus

causaque questionis; secunda proventus finisque rei quesite. Que ex mutuis ducis affectibus perpendimus. Observanda siquidem omnino stella, cui vel dux applicat vel ipsa duci, a qua stellarum separetur. Hec enim est causa et principium questionis, quam causam natura et accidentia eius certissime exponunt. Eadem demum, cui dux applicat aut que duci, notanda cui stellarum applicet. Hec enim omnino rerum proventus excipit, pro qua natura et accidentibus, rerum finem certissime prescribit. Hic occurrit quod ait RASIS: primo siquidem dux cogitationis observandus est; deinde dominus eius, ipsiusque natura, et locus eius pariter; locique nature et statim ad questionem respondere necesse est.

### Exemplum questionis

Exemplo rerum. Questionem primum ab HERMETE iudicatam, postea a pluribus astrologis ventilatam in medium adducimus, qua et RASIS et ZIMUS prout opus erat in suis tractatibus utuntur. Erat enim oriens Taurus, x gradibus. Venus in Cancro --trigono suo--15 gradibus. Luna, in Libra x in nulla dignitatum suarum. Sol, in Sagitario aversus dominis partis fortune. Saturnus in Leone, in / nulla dignitatum suarum. Extitit ergo Venus 147rd questionis dux. Cui quoniam Luna a Saturno separata, ligetur e sexto; quo iudicatum est questionem esse de matre infirma. Et quoniam Luna matribus preest, separatur autem Luna a Saturno,

qui causa est infirmitatis, frigidam esse et siccam. Et quoniam Leo de corpore humano stomacum occupat, eam esse in stomaco ostendit. Cuius in primo gradu cum Saturnus sit, ostendit esse infirmitatem circa os stomaci. Hec sunt igitur materia et causa questionis.

Finis autem rei quesite ad hunc modum perpensus est. Luna igitur que huius cogitationis ducatum optinuit cui applicet inspectus est. Quoniam ergo Veneri forti et recipienti applicat, sanandam esse dedit sentenciam. Inter erant autem ut inter Lunam et Venerem 5 gradus, que quia in conversivo erat, dictum est ad 5 dies; hic enim si Luna firmum occuparet, ad 5 annos. Si bipertitum, ad tot menses. Si vero Saturno loco Veneris applicaret, diceremus ad tot dies morituram. Nam converso, si in Lune loco Venus esset, questio foret de aliqua muliere gentis sue. Si Saturnus, de patre. Si Mercurius, de filio. Si Sol, de rege.

Si vero $7^m$ Venus optineret, de sponsaliciis foret. Si Mercurius, de filio sororis dum masculus foret; dum femina, de filia sororis ideoque de luminibus observandus est; est enim Sol: die, masculus; nocte, femina; Luna, converso. Nam si Jupiter hoc modo nonum optineret, de sompno foret questio. Si Mars in $7^o$, de controversia; atque ad hunc modum pro celestium consiliis, accidencium inferioris mundi iudicium assequimur. Ait enim RASIS in hac questione: cum viderem oriens femineum dominumque eius feminam; et in femineo de femina questionem fore planum erat. Cum vero dominus domini orientis Luna, in

quarto ab ipso, ipseque in domicilio fratrum ipsi applicans, a Saturno qui quartum optinebat quod parentum est separetur de matre fieri questionem certum habui. Quoniam et Lune matres sunt qui quoniam domino $6^{i}$ de ipso $6^{o}$ applicat, infirmam esse demonstrabat; et quoniam a Saturno separabatur, cuius est noxa, sanandam esse ostendit. Hac itaque RASIS in eam questionem commentatus est.

## De querentis persona quid conferat

Hiis itaque pertractatis deinde et de ipsa querentis persona non nichil in iudicium venit. Ac primum si quid nobis allatura sit proficui nec ne. Quociens enim querente quoquam fortunati liberi $x^{m}$ oriensque possident aut saltem $xi^{m}$ vel secundum, domino $x^{i}$ possidentes et amice cum receptione ligate proficui promissum est. Si non, minus. Deinde 4 animi affectus sunt habendi ipsius persone: artis fortune corporeique tenoris discretio habenda est; interposita solum affectione querentis circa occasionem questionis. Quociens enim querente quoquam orientis dominus et Luna in exitiis suis fuerint, valida inpulsione coactum et ad questionem invitum venisse iudicium tribuit. Nunc ergo, quam si hora questionis fortunate $x^{m}$ cardinem / vel possident aut amice 147vs respiciunt, sensatum predicant. Nam si infortunia $x^{m}$ interim possident, dum id eorum aut domicilium sit aut principatus, manuum arte eum vivere indicat. Hic si orientis dominus in

principatu suo fuerit, querentis personam aut de quo queritur, regem esse. Si in domicilio, magnatem. Si in trigono, divitem; in termino et decano, minus. In casu et exicio est contrarium et Luna utrumque consenciat.

Hic inserendum quod MESSEHALLA in primo libro scripsit: quociens enim sub questione nocturna, pars fortune 12, Luna 6 optinet, dum termini eius dominus pariter extraneus sit, qui questionem dat, servus est aut serva, presertim si Luna signum masculinum optineat, oriens vero femineum; si vero diurna fuerit questio, Solque in signo femineo, oriens autem masculinum nichilominus servum prodit. Luna cum parte fortune in $6^{o}$ aut $12^{o}$ Saturno aut Marti respecta, questionis dominum egrotum aut veneficiis aut beneficiis infectum prodit. Quod si Jupiter aut Venus respiciunt, minime. Quociens trigoni orientis dominorum primus ipsum de loco adverso, Lunamque ex opposito respiciat, aut infortunium Solem pariterquè Lunam in $12^{o}$ tam parentes querentis aliene potestatis produnt quam ipsum aliene servitutis debitum. Quod si Jupiter trigono respexerit aut se ipsum redemp- turum aut gratis liberaturum fore insinuat. Si autem Mars Lunam Saturno applicantem respexerit, in ea conditione designat moritu- rum. Nec aliter si Saturnus Lunam applicantem Marti respexerit, aut ipsa cum infortunio in cardine fuerit, servum notat. Nec tamen interea testimonium partis fortune pretermitendum.

Hoc questionum genus (DOROTHEUS) simplici quodam alio

modo iudicat, specialiter partem fortune observandam mandat; que si in oriente fuerit questio de ipso fit reve propria. In secunda, de mercatura aut de deposito. In tercio, de fratre, amico motuve locali aut re perdita. In quarto, de re transacta aut veteri et antiqua. In quinto, de prole aut dotio. In sexto, de incommodis corporis, demoniacis et incarceratis aut naufragio atque id genus. In septimo, de sponsaliciis, femina, controversiis. In octo, de mortuo eiusve reliquiis, ut sunt hereditates. In nono, de via, libris vel prophecia. In decimo, de sapiencia, principatu aut re alta sive rege. In undecimo, de clientibus regum. In duodecimo, de latrocinio aut servo rebelli.

Qui si in signo quadrupede fuerit, de quadrupede. Sin in humano, de homine. Sique in igneo, de igneis. Si in aereo, de aereis.

Atque ad hunc modum, adhibendus est ubique in testimonium eius termini dominus. Qui si masculus fuerit, de masculo. Si femina, de femina. Qui si sit Saturnus, de sene aut servo. Jupiter, de questu. / Mars, de latrocinio et pugna. Venus, de 147vd
divite et sensato. Mercurius, de scriba aut mercatore multumve sapientie diversi consilii. Sol, de rege. Luna, de viro subitaneo effeminato.

Quod a primordio tractatus huc usque ducis indaginem tam studiose prosecuti sumus; eque tot tamque diversis eligendum mandamus, ea causa est. Quoniam si vel orientis dominus vel luna tantum semper ducatum optinerent, aut nullum signum plus quam uno momento oriretur, neque applicatio Lune plus duraret quam quodlibet unum signum oritur in quo Luna stelle cuilibet applicat, diversorum questiones fieri impossibile esset, quod quando non accidit, per domiciliorum ordinem aut Lune applicationem questiones ordinandas precipiunt. Illud etiam notandum, quociens in hoc ducatu infortuniorum cum fortunatis, testimonia equa fuerint, errorem evitari impossibile est, necnon quod hic labor, nisi de cogitatione questionum fiat, vacans: querentem siquidem circuli motus adducit, humana affectione celestium affectus sequente.

Postremo sunt in hoc negotio questiones 3 que frequenter incidunt. Primum utrum ve proventurum sit quod queritur. Secunda, utile ne futurum sit quod proponitur. Quare prime questionis, scilicet absolutionis cuius inter spem et metum, subdivisio formanda est. Primum oriens constitui, cardinesque firmari, atque domicilia cum locis stellaribus ordinari convenit. Quo facto computandum erit, a domino septimi usque ad gradum orientis, totusque numerus a gradu $x^i$ incipiens per gradus equales deducetur. Qui, ubi steterit eius signi eiusque decani domini consulentur. Qui si ambo oriens respexerint, plenarie proventum

firmant. Si alter tantum partim. Si neuter negant. Sique amice facile. Si inimice difficile. Sique is dux, oriens aut $10^m$ occupaverit, celeriter. Si in $4^m$ aut $7^m$, tarde ad incipiendum.

Deinde unde sit questio ducem consulemus. Quod si Saturnus sit, fundum, sementem, remque antiquam indicat. Jupiter: prelatum, aurum, argentum, et cuprum. Mars: pugnam, controversias, iter, viatores. Venus: voluptates, jocos, negotiaque mulierum. Mercurius: mercaturam, libros, incantationes. Utrumlibet luminum: mandata regum. Loca vero discretionis adhibet.

## An sit utile

Secunde questionis, scilicet expediende, computandum erit a domino orientis ad dominum hore, totusque numerus a gradu Solis incipiens ubi desierit eius signi eiusque termini consulemus dominos. Qui si ambo stelle fortunate sint, aut inibi stelle fortunate fuerint, sine infortuniis, utilitas plenaria est, dumtaxat libere sint. Infortunia, contra. Quorum si alter de infortuniis, alter de fortunatis sit fortior propriis viribus optinebit. Nam cuiusque studii agrediendi pars a Saturno ad Lunam fuerit sumpta, ab oriente incipiens, ubi steterit numerus graduum, loci illius dominus diudicat.

De

Tercia questio est scilicet de vite statu rerumque fortuna cuius priorem partem APPOLLONIUS solvens / orientisque termi- 148rs num ita metitur ut translatio prima HERMETEM totum per seipsum multiplicatum annos hominis utriusque temporis numeret: quot autem gradus exorti sunt vitam transactam, quot sequuntur consequentem. MESSEHALLA autem: stellam a qua orientis dominus aut Luna separatur transacto spatio proponit, cui applicat consequenti, quod in translatione libri eius plenius exequimur.

## De fortuna rerum

Rerum autem fortunam oriens eiusque dominus atque Luna pro statu suo indicant. Si enim fortes atque fortunatis fortibus amice cum receptione ligantur, plenarie fortune est signum. Contra de infortuniis. Similiter quidem fortune signum est cum ab infortuniis ad fortunatas transeunt, mutatur enim malum in bonum, et econverso. Nam a fortunatis ad fortunatas de bono in melius. De infortuniis, contra. Nam et si a fortunatis separantur, dum non applicent infortuniis, bonum. Si ab infortuniis non a fortunatis excipiuntur, malum. Qui si mediantes sint, ex forti et debili permixti, mediam tantum fortunam designant. Nam producitur fortune quantitas spatiumque mutationum ad mensuram applicationum; quod alibi planius exequimur. Interim de alio.

Explicit liber primus. Incipit secundus de natura signorum.

## De natura signorum

Superioris voluminis tractatus de consilio querentis et cogitatione concipięnda antiquam auctoritatem executus; huius libelli series absconditarum rerum genus et formam ab eadem auctoritate mutuatur. Postquam enim signorum natura que in capite primi libri exposita est, diligenter perspecta fuerit, tum stellarum ducatus quo duce qua datus est ratione. Hoc invento, per ordinem exequendus stellarum affectus.

Quadripartitam signorum naturam quadrifariam agitare necesse est; atque id primum disputabimus. Deinde quid singulis stellis per singula signa sit proprium commutabimur. Postremo suas cuiusque seorsum vires exequemur. Multa siquidem huius partis in stellarum proprietatis expositione in omne astronomie secretum intelliguntur adminicula. Nam superioris tractatus plus accidencia signorum comitatur. Hic, siderum et stellarum naturam magis amplectimur.

## <Stelle duces in igneis>

Saturnus dux in igneis, viliora eius generis indicat, ut lutum, ceram, plumbum.

Jupiter: utriusque sexus ornamenta, ut sunt iaccinctum, argentum, anuli cinctoria.

Mars: arma, atque id genus.

Venus: monilia, eiusque generis ornamenta mulierum.

Mercurius: manualia instrumenta, ut urceolos, cultellum, forsices, rasorium, atque id genus levium et tenuium.

Sol: vasa tenuia magni nitoris deaurata, ut sunt, patine, atque id genus.

Luna: margaritas idque genus.

Hoc in hiis autem generaliter advertendum, quociens ducem absconditi Luna respexerit, id esse nitidum, levigatum, ut vitrum, marmor, ferrum elimatum. Quod si alterum ⟨luminum⟩ tantum, pro viribus suis rerum addit splendori. Nam Sol, bissem; Luna, / 148rd
trientem.

## ⟨Stelle duces in aereis⟩

Saturnus dux in aereis de animantibus mortuum indicat, ut sunt pili, lana, coria.

Jupiter: animancia domestica, munda altiliaque parum volantia, nisi in domicilio martis; marti ligatus, sic enim canem aut catum.

Mars: ferarum genus et accipitrum nisi adversus aut retrogradus in casu suo ve fuerit. Sic enim venenum.

Sol: extranea corporis, ut ungues et capillos.

Venus: animancia domestica, quibus laboratur, quorum carnes sunt in usu.

Mercurius: plumam, levesque aviculas, nisi sit in signo calido et humido. Sic enim aquarum humecta reptilia, ut sunt

vermes et id genus. Hic, si Mercurius cuique applicat stelle, rerum Mercurio attinentium ad naturam cui applicat discretio sit.

Luna: testudines et ostreas atque id genus, nisi sit in domicilio Jovis; sicque altilia domestica et animalia quibus laboratur.

## ⟨Stelle duces in terreis⟩

Saturnus dux in terreis: res insipidas eiusque generis ut glandes, grana et carnes cucurbitarum et cucumeres agrestes, hisque similia.

Jupiter: gramina sani odoris munda, ut paxa.

Mars: gramina rubei coloris, quorum fructus acres, ut sunt sinapis, piper, eruca, et arbores spinose.

Sol: arbores grandes, quarum fructus inutiles, lignum inutile.

Venus: gramina dulcia, visu pulcra suavis odoris, ut mala et pomum cedrinum, dot et zamdal.

Mercurius: levia et subtilia, ut sunt lenticule atque id genus, nisi cum aliis ligatur. Sic enim illius nature concedit.

Luna in terreis et aquaticis ad naturam eius a qua separatur.

### <Stelle duces in aquaticis>

Saturnus dux in aquaticis: lutum, chelidros, arboresque que sine aqua moriuntur.

Jupiter: aquatica alba, ut sunt margarite et id genus.

Mars: feras marinas et salem, atque hiis similia.

Sol: fenum exsiccatum.

Venus: ordeum triticum eiusque generis frumenti, volatilia aquatica et cetera idque genus et corpora.

Mercurius: venas terre, ut sunt radices que supra terre superficiem extenduntur, ut corrigia nigra ac tubera terre.

### <De genere et colore rerum absconditorum>

Omne igitur absconditorum genus aut novum quidem est, aut vetus; sicque utile est, aut inutile, aut est noxium. Simplex quoque, vel multiplex. Cum itaque dux in abscondito orientalis est, novum designat; occidentalis, vetus. Idem infortuniis ligatus aut coniunctus, inutile vel etiam noxium; fortunatis, contra. Idem in bipartitis aut aliis iunctus duplex; quoque in coniunctione ergo, si nature conmixtio fit, id genus ex altero in alterum conduplatum est, ut sunt anuli rasorium, cinctoria, idque genus.

Sciendum est quoniam dux celerius incedens, rem alleviat; tardius, agravat. / Omnis etiam stella superiorem sui circuli partem 148v
obtinens, in sua ipsius natura consistit. Inferiorem, subsequentis nature concedit.

In principatu quoque suo, quodlibet, quod in suo genere preciosius est, designat; in casu quod vilius.

### De colore absconditorum

Colorem autem absconditorum ex duce pro loci qualitate mutuamur. Dux enim in Ariete, album colorem indicat mixtum rubeo. In Tauro, album citrino. In Geminis, album rubeo. In Cancro, viridem. In Leone, rubeum. In Virgine, glaucum. In Libra, nigrum. In Scorpione, nigrum. In Sagittario, flavum. In Capricorno, citrinum. In Aquario, celestem. In Piscibus, album.

Preterea quod Cancer, Scorpius et Sagittarius complicata designant; aut que ventus agitat.

### Quid quisque planeta per singula signa significat

Deinceps quid singulis stellis per singula signa iuxta antiquam experientiam commutabimur. Qui locus non solum absconditi qualitatem et essentiam exponit; verum et cogitationum secretis detegendis non nichil opitulatur.

Saturnus itaque dux in Ariete bovem significat. In Tauro, equum. In Geminis, virum iter proponentem. In Cancro, argentum. In Leone, aurum. In Virgine, feminam corruptam. In Libra, regem coronatum. In Scorpione, vestem laneam. In Sagitario, virum metalla et gemmas querentem. In Capricorno,

frumentum. In Aquario, hominem occisum. In Piscibus, ferrum, cuprum, stagnum.

### De Jove per singula signa

Jupiter in Ariete, equum. In Tauro, bovem et ovem. In Geminis, virum mulierem querentem. In Cancro, regem. In Leone, ornamenta et gemmas. In Virgine, vestem tinctam. In Libra, multiloquium multaque comprehendentem. In Scorpione, frumentum. In Sagitario, equitem de exercitu. In Capricorno, servum fugitivum. In Aquario, hominem occisum. In Pisce, erminium serico laborata copiamque lane.

### De Marte per singula signa

Mars in Ariete, gladios, cinctoria laborata opusque ignitum. In Tauro, quadrupedia. In Geminis, suavem odorem, ornamenta gemmata. In Cancro, servum fugitivum. In Leone, virum equitem bella affectantem. In Virgine, feminam venerem queritantem. In Libra, sponsam sponso subtractam. In Scorpione, hortum et arbores. In Sagitario, virum detrahentem viro. In Capricorno, regem. In Aquario, homines advenientes. In Piscibus, vestem lucidam discolorem.

### De Sole per singula signa

Sol in Ariete, regem coronatum. In Tauro, sponsam in thalamo. In Geminis, aurum et argentum. In Cancro, frumentum,

In eone, virum equitantem in pugna. In Virgine, vestem laneam. In Libra, servum fugitivum. In Scorpione, furem et ornamenta. In Sagitario, virum severum. In Capricorno, feminam / carmine 148vd
lesam et coniugi subtractam. In Aquario, hominem mortuum. In Piscibus, muscum alambrum et odores.

### De Venere per singula signa

Venus in Ariete, quadrupedia. In Tauro, sponsam in thalamo. In Geminis, margaritas. In Cancro, aurum et argentum. In Leone, frumentum. In Virgine, servum fugitivum. In Libra, virum de femina querentem. In Scorpione, thesaurum. In Sagittario, feminam de viro viatore querentem. In Capricorno, vestem tinctam discolorem. In Aquario, virum homicidam socii. In Piscibus, regem coronatum.

### De Mercurio per singula signa

Mercurius in Ariete, capras et oves. In Tauro, equas et equum. In Geminis, scribam. In Cancro, ornamenta. In Leone, odores. In Virgine, regem. In Libra, feminam coniugi detrahentem. In Scorpione, vestem laneam. In Sagitario, frumentum. In Capricorno, thesaurum. In Aquario, hominem qui multa discolora amisit. In Pisce, regem regi detrahentem.

### De Luna per singula signa

Luna in Ariete, quadrupedia. In Tauro, regem. In Geminis, vestes. In Cancro, fundum et sementem. In Leone, aurum et argentum et margaritas. In Virgine, feminam divisam a coniuge. In Libra, vestem laneam. In Scorpione, servum fugitivum, thesaurum quoque si celi cardinem aut oppositum obtineat. In Sagitario, virum proficiscentem in itinere. In Capricorno, ficus, ordeum, triticum. In Aquario, hominem mortuum. In Piscibus, stagnum.

### Quid planete in coloribus et in rebus significent

Nunc sue seorsum cuiusque vires exsequende, in quo omne fere mundi rerum stellarum dominium breviter amplectimur.

Saturni: color, plumbeus; gustus, insipidus; lana pilus coria pelles alkohol, nomina servi de hominibus iudei.

Jovis: aqua dulcis, smaragdus, pomum, cucumeres dulces nomina dei, color viride, unde almumi(n), id est que Jovis sunt, eo colore plurimum utuntur. Unde et Persarum regibus antiquis uti mensalibus mos esse solebat. Inter Jovem autem et Solem et Venerem et Mercurium et Lunam familiaris est atque fraterna cognitio.

Martis sunt silices igniti, auripigmentum, confectio coloris viridis, nausturcium, piper et id genus: eruca, sinapis, cardus,

colubri, angues, lacerte, cocodrilli, delfines et hec de aquaticis atque id genus sine pilis fere et accipitres.

Solis: albedo, mundicia, nitor, palma, resina, nuces pinei, cervi nocte silvestres, oves albe, homines grandes.

Veneris: animancia maris, perdices, caturnices, et id genus eius quoque caro et adeps.

Mercurii: aurum sculptum compotum, libri sapiencia, sericum, spelta, porri, legumen, topazius.

Luna [illegible] principatu suo, dulcis; in casu, fetida. Eius sunt saxa, mar[illegible]ite, vacce domestice, oves albe,/ panthere, homines grandes, c[illegible]ini. 149rs

Caput est nature Solis. Cauda, Saturni.

Amplius Saturnus, primum rex; deinde hereditatorum dominus, prepositus agricola, ypocrita medicus morientium tum furnarius; postremo latrinas purgat.

Jupiter: iudex iudicium, heremita, venditor gemmarum et anulorum.

Mars: iudex, dux, miles, tinctor latro faber.

Sagitarius: carnifex, telonarius.

Sol: rex magnus, geometer, divisor fundi.

Venus: venditor odorum et ornamentorum, artifex anulorum, et iocorum canticorum, leno mechus.

Mercurius: magnus artifex, scriba, consiliarius, magister, philosophus, sculptor, dominus alkemie et experimentorum.

Luna: regum socius, venator, piscator, aquarius viator; postremo qui pannos abluat.

### De coloribus et saporibus planetarum

Hactenus in absconditorum iudicio MESSEHALLE auctoritatem secuti sumus; nunc auditoris eius ALKAMAZ quedam sentencia subiungenda. Ait enim oriens eiusque dominum naturam materiemque rei testari; dominum hore colori, dominum termini orientis, sapori. Oriens igitur igneum de ignitis indicat. Aerium: de animantibus. Aquaticum: de humectis. Terreum: de graminibus, ut antedictum est. Hore itaque dominus vel dominus termini orientis: Saturnus, nigrum insipidum. Jupiter, viride dulce. Mars, rubeum amarum. Venus, album saporem adipis. Mercurius, celi colorem acetum. Sol, glaucum acre. Luna, grisium salsum. Quorum aliunde trahit sumendus inde numerus a Luna ad Mercurium, quotque inter fuerint signa aut gradus, reservandi sunt. Si igitur sumptorum numerus impar fuerit, quod absconditum est, unum est. Si par, plura. Item orientis dominus in firmo, simplex; in bipartito, duplex; in conversivo, multiplex indicat. Item orientis dominus orientalis, novum; occidentalis, vetus. Sicque in x° et 4°. In superiori hemisperio, supra terram. In inferiori, sub terra. In x°, in aere. In conversivo, in re mobili. In bipartito, circa fenestram. In firmo, in immobili loco.

## ⟨Ad thesaurum inveniendum⟩

Rerum absconditarum generi magis firma quedam species subiacet de absconditis aut subfossis: pecuniis, thesaurisque, antiquitus sive recenter. Quod artificium, cum ex diversis scriptoribus colligere vellemus, sentencie dissonancia ipsorum pocius sua cuiusque verba, a nobis in latinum sermonem transformata, in medium adducere compulit. Ut si quicquam sors adduxerit magis proprie, cum non tanti sit laboris, nichil pigeat singulos / experiri. 149rd

### Sentencia ⟨ZYMI⟩ ad thesaurum inveniendum

ZYMUS quidam Grecus quem in Arabicum EGIGIUS quidam transtulit sic ait: in inquisitione de thesauro, an insit loco nec ne notandum primum est $7^m$ ab oriente, in quo si quemquam de fortunatis repereris inesse firmat idemque in ceteris cardinibus. Hinc itaque si pariter Sol et Luna oriens respexerint, infra edificium indicant. Deinde hore dominus observandus: qui si in oriente fuerit, in introitu est edificii. In x°, in medio. In occidente ad occidentalem partem. In 4°, ad aquilonem. Item hore dominus orientalis recens demonstrat. Occidentalis, vetus et antiquum. Hic igitur si Mercurius oriens possidet, in fundo suffossum indicat. Si Jupiter, in pariete. Venus, circa cunabula et cubilia. Saturnus, in loco fetido, obscuro, et immundo. Mars, circa inquilinem et ignitabula. Sol, in medio domus loco. Luna, in loco portario aut circa mulierum sedilia. Capud, in loco alto.

Cauda, in loco horrido et tenebroso. Si ergo pariter Sol et Luna aut occupent oriens aut respexerint, facile reperiendum promittunt. Deinde stella que $7^{m}$ possiderit aut saltem dominus eius consulendus. Hic enim absconditi qualitatem omnino describit.

Postremo totum edifitii aut curtis spacium in $4^{o}$ partes dividetur: orientalem; occidentalem; australem; septemtrionalem. Quo facto quot signi sui gradus hore dominus emensus fuerit totus numerus per 12 multiplicabitur productaque summa ab oriente incipiens per gradus equales deducta ubi steterit; ibi signum notandum erit, an occidentale sit, videlicet aut orientale, australe sive septemtrionale, et in ea siquidem parte inesse iudicat. Denique et ea parte quadripartita eius signi dominus, rursum quot hospitii sui gradus peragraverit, totus numerus ab eo signo incipiens per singula signa septenis gradibus et dimidio deducetur; atque ubi steterit, id signum similiter notandum erit; illaque pars divisa in 4 partes discernetur. Inventaque parte item quadripartita similiter. Item et eius signi dominus quantum de hospitio suo permeavit deducetur idque tociens fiet quo usque ad locum perveniatur.

Exempli gratia: Aries erat oriens x gradibus; hore dominus, Mercurius in Cancro 13, qui numerus duodecies acceptus atque a principio Arietis per gradus equales deductus, in Virgine constitit signo australi. Cuius dominus Mercurius, quantum in Cancro peragravit, deductum est a Cancro per septenos gradus et

dimidium constititque in Leone signo orientali. Cuius dominus Sol cum esset in Geminis, eiusque domini Mercurii gradus in Cancro inde item ut ante deducti ubi prius inciderunt idque tociens repetendum est, quo ad locus ipse deprehensus est.

## Sentencia Aomar de eodem

AOMAR autem TIBERIAS Sirus hoc artificium hoc ordine instituit. Discernenda est, inquit, primo loco querentis intentio, utrumne de pecunia querat quam ipse recondiderit / locumque 149vs
postea ubi assit quale oblitum sit: aut terre suffossam in curte aut in domo, locumque quem ignoret ut de reposito parentum atque id genus, aut de thesauris antiquis, hac discretione habita: querenti oriens preponetur, sicque de re propria quesierit, secundi dominum prosequimur. Qui si vel in oriente vel orientis dominus in cardinibus fuerit aut in propria domo, rem absconditam designat, aut coniugis aut parentum aut artificii sui; cui si parentes non sint, in medio domus aut curtis sue. Sicque de ceteris per ordinem eodemque modo. Si vero orientis, secundique domini ab invicem aversi fuerint, nec sit inter eos luminis translatio, nec qui lumina eorum colligat, labor inefficax est. Atque ad hunc modum, parentum quoque reliquias investigabimus.

Cum vero questio fit de thesauris, videndum est in primis utrumne quicquam sit in loco necne. Si igitur fortune septimum occuparint, aliquid ibi inesse testatur. Quem si infortunia possi-

derint, fuisse quidem sed iam est extractum. Qualitatem itaque suffossi stella que in 7$^{o}$ est indicat. Si enim particeps eius fortuna fuerit, idem quod 7$^{i}$ dominus metalli genus designat. Si vero expers duritatis cum domino 7$^{i}$ communicabit, si enim Sol fuerit, sitque id Aries aut Leo, aurum et gemmas preciosas designat. In aliis, argentum, cristallum aut vitrum. Mercurius: monetas, argentum, liquidum, libros, sicque de ceteris, iuxta naturam et affectum.

Deinde utrumne consecuturi sumus in id quod intendimus. Si enim stella 7$^{m}$ occupans particeps ipsius, aut 7$^{i}$ dominus orientis, aut hic illi applicaverit, sitve inter eos aut luminis translatio aut luminis eorum collectio, consequendum promittunt. Et si ex trigono vel exagono, cito et facile; et ex tetragono aut oppositione, contra. Conventus inter utrumque, dumtaxat cum receptione. Deprehenso itaque spatio infra quod thesaurus sit, cum locus ipse inveniendus fuerit, notandus 7$^{i}$, dominus in utraque circuli parte sit, inter orientalem et occidentalem. Si ergo in orientali, orientem versus est in edificio aut curte; si in occidentali ad occidentem. Idem in signo firmo: in fundo rem firmat. In bipartito, in pariete. In conversivo, in tecto. Deinde domus ipsa aut curtis aut spacium quamtumlibet, bipartito dividendum: in partem orientalem et occidentalem, videndumque utram dux occupet, eaque metienda quolibet genere metiendi pertica scilicet vel cubito sive pede; quo facto, notandum quem decanum signi

sui dux obtineat, sicque ea parte tripartita, eum trientem occupabimus; deinde quotum decani gradum atque trientem, et ad eum numerum diviso incepto numero ab oriente aut occidente ad ipsum denique locum pervenietur.

## Sentencia ALKINDI de eodem

ALKINDIS vero post doctissimum MESSEHALLAM ad hunc modum: cum queritur, inquit, an in loco thesaurus sit suffossave quantalibet pecunia, constituendum est oriens et circuli cardines firmandi. Quo facto, si in oriente fortuna liberaque reperitur, rem firmat. Pro cuius valitudine aut debilitate pecunie quantitas est; que si cor / rupta fuerit infortunio forti, fuisse quidem, sed 149vd
iam translatam. Deinde orientis dominus et Luna notandi: si enim inter ipsos et prefatum ducem applicatio cum receptione fuerit, querenti consequendum promittit; si non, minime. His prospectis, a tocius loci centro linee recte ad extremitatem erecte circuitum totum equalibus angulis, duodecies secabunt; quibus productis, orientis signi punctum orientale loci punctum figetur certissime; deinde discreto stelle ducis loco, in ipsum loci punctum a spacii centro linea recta producetur. Quo facto, stelle ducis dominus ubi sit, quamtumque ab orientis gradu distet, deprehendendum: tanta siquidem est thesauri ab orientali puncto loci distancia. Et hunc locum illinc habemus: a centro recta linea deducetur; deinde utrum centro an circumferencie propinquior sit discernendum.

Quod ut facile fiat, lineam per medium secabimus circinique pedum altero in centro fixo, alter id punctum occupans viam Solis circumducet. Statim igitur videndum est: quoniam si latitudo stelle australis fuerit, austrosum indicat; si septemtrionalis, ad aquilonem; cui si non est latitudo, in ipsa via est. Hac discretione habita, in quam partem declinat ea pars, quot gradum est tota stelle latitudo tot partibus equis a medio circulo sive ad centrum sive ad circonferenciam, quod tunc interfuerit spacium secabitur equalibus sectionibus, quota pars totius latitudinis presens stelle latitudo fuerit, ad eum recta proportione tot segregabitur. Hicque certus thesauri locus est, in utramlibet partem ad austrum sive ad aquilonem, in ea linea; si enim sine latitudine fuerit stella, ut dictum est, in ipso puncto lineam dividente. Profunditas autem iuxta sublimationem stelle et depressionem: in suo parvo circulo nam si in medio est stella, medius est thesauri locus, inter fundalem scilicet antiquam terreque superficiem. Deinde cum ydonea fodiendi eligenda fuerit hora Lunam orientisque hore dominum duci felici amice cum receptione ligabimus, cardinesque omni infortunio liberabimus, sique facultas tulerit, fortunatis beabimus.

### De discretione ⟨personarum⟩

Personarum quoque discretio rerum absconditarum nonnullum fert iudicium. Quod genus quanto vilius in rerum amissione, tanto carius in recuperatione rei, furisque aut

cuiusquam de quo queritur demonstratione non parvi adminiculi. Ut Saturnus furis aut cuiusquam id genus persone dux, in signo masculino (fihaizehu) occidentalis, masculum indicat: senem obscurum fuscum nigrum taciturnum, ample frontis et capitis, turpem, facile dolosum. In femineo vero signo, quadranteque femineo eunuchum aut anum. Orientalis autem in principio puerum forme senilis;in medio, quadrante iuvenem; in fine, virum eiusdem similitudinis huiusmodi forma proprietati saturnine. Deinde quid tam huic quam ceteris signorum natura adiciat exequendum.

Saturnus dux in Ariete: voce ingratum, oculis subalbidis / 150rs
et tumidis prominentibus superciliis, grossa facie canoque narium, genis parum barbatis, crine raro, grandes inclunes, gracilesque tibias habentem.

In Tauro, narium summum grossum, ample frontis, obtuse vocis, turpia labra, raro crine, tumidis oculis, tergum latum, pedes latos, obscurum sollicitum si infortunio leditur.

In Geminis, mediocris stature, voce gratum, lingua bonum, consilio discretum, scapulis amplis, apta barba et equali, nitido crine, et si calvus fuerit providum dolosum.

In Cancro, oculorum venis nigris prominentibus, facie lenticulosa, ample frontis, multicolora lumina, sicca membra, magnos pedes, turpes manus moribus et affectu instabilem.

In Leone, vultu crucem, profundis oculis interluminari

plano summum naris grande ampla narium foramina, labia tenuia, brevi collo et spisso, grossis brachiis et pectore inferiori parte mediocri, et talis acutis et siccis et grandi ventre cervice pilosum audacem protervum, alte vocis, validum comedonem.

In Virgine, mediocris stature, ample verticis, corpore pilosum magisque desuper in brachiis et extremitatibus discretum moribus providum dissimulantem equo et pace.

In Libra, capud mundum gerit, longos nares, longum collum, nigerrimos crines, graciles tibias, impressivum tergum, erectam inclunem, longos pedum digitos.

In Scorpione, prominentia supercilia, angusto confinio, multo crine plerumque spisso capite grandi, magnos pedes, turpes manus, pallidus ex viridi et glauco, minutos occulos, breve dorsum, longas tibias, prominentes inclunes malivolum.

In Sagitario, ampla supercilia, prominentes palpebras, longa facie, amplis naribus et ore tumencia labia, longo crine et multum, pilosa cervice.

In Capricorno, longa facie, sub rubea, mollibus occulis, acuta voce confinibus superciliis fuscum grosso crine, corpore piloso.

In Aquario, capud quadrate forme et faciem desuper amplam, deorsum acutam, artem in aqua et humectis qualis est nautarum et piscatorum quique pannos abluunt.

In Piscibus Saturnus dux fortis, fortunatis receptus personam

de genere divitum notat. Aversus infortuniis corruptus, fuisse quidem sed deiectum describit aut oculos placidos, os amplum, dentes inordinatos, corporis habitudinem planam taciturnum, vastumque comedonem.

### De notis Lune (si sit dux persone)

Hic si Luna ducis hospicii multum particeps ipsi de cardine fortiter testatur, iudiciis addit notas quales in corporibus humanis ex quibuslibet humoribus nate quoslibet colores sortiuntur. Que si in Ariete ita locata fuerit notam fert in capite pulcritudinemque in capite aut in facie. Taurum possidens in collo. Geminos, in humeris et brachiis. Cancrum, in pectore et mamillis. Leonem, in ventre usque pubem. Virginem, in tergo et lateribus. Libram, in iliis et femoribus. Scorpionem, circa inguen. Sagitarium, circa inclunem. Capricornum, in coxis penes genua. Aquarium, in tibiis. Pisces, in pedibus. Hanc autem pulcritudinem gerit, dum fortunata fuerit. Nam corrupta, turpitudinem in eis locis ad mensuram et qualitatem corrumpentis in compoto addentis seu minuentis.

### De Jove si sit dux persone

Jupiter / autem persone dux preter quod signi natura sug(g)erit: 150r
barbam rotundam notat, colorem flavum venas oculorum nigras albugines parum bone habitudines decentis tenoris de genere divitum.

De Marte

Mars: rubeam faciem rotundam, inimice mentis, acuti visus, raro crine, acutum asperum levem protervum.

De Sole si sit dux persone

Sol album notabilem, rotundam faciem, nominatum veneratum, divinationem, medicinam aliquo ve limpha mundandi artificio.

De Venere si sit dux persone

Venus album colore mundo, placitum visu, grossas oculorum venas, apta motu et figura, dulcem amabilem, dignas coxas et inclunem.

De Mercurio

Mercurius leve corpus, raram barbam, venosam faciem, album citrino mixtum.

Hiis stellarum proprietatibus que dicte sunt, natura signorum adicit discreta ut prius de Saturno dictum est, etate sexuque persone pro natura stellarum et accidentibus.

## Que accidant iudiciis vel que aditiant

Quoniam absconditorum iudicio que siderum et stellarum natura tribuit prosequiti sumus, deinceps quid eorum accidencia rerum iudiciis aditiant investigandum. Quod genus celestium secretis detegendis nichilominus adminiculatur; in quo stellarum quasdam figuras premittimus. Deinde singulorum naturis domiciliorum testimonia adhibebimus. Sol siquidem rotundus, levigatus, pulcer, lucidus. Lune: rotunde nec plene fragmen inest et foramen plene minime in colore fusco nitor alba nisi in $6^{a}$ et $7^{a}$ obscura. Mercurius: levis vilis cuius forme pares designat 9 medios stantes. Venus: lucida, odora cuius figura triangula aut in speram. Mars: rubeus, siccus longo, maior lato. Jupiter: flavus pulcher longus inclunis canus. Saturnus: niger, longus, vilis.

Previso itaque de quadripartita signorum natura que pars ducatum optineat, tum demum accidencium testimonia accedunt. Constituto siquidem oriente firmatisque cardinibus, siportio que graminibus preest ducatum obtinuerit, oriens quidem arboris stipitem vendicat: terre cardo, radicem; cardo celi, folia et florem; occidens, fructum. Deinde nam secundum, corticem et lanuginem; quintum, venas; octavum, testarum fructus granaque medio inutilia; $xi^{a}$ corruptionem et putredinem. Orientis autem dominus cum

loco suo ad genus et formam ducit. Orientis termini dominus, saporem. Lune dominus, numerum. Dominus partis fortune, etatem. Ipsa locusque eius, quantitatem. Hore dominus, colorem. Orientis dominus duodenarie, naturam.

Quibus prospectis oriens rei materiam designat. Secundum, genus. Tercium, figuram. Quartum, radicem. Quintum, odorem precium et pondus. Sextum, corruptionem. Septimum, oppositum rei. Octavum, discessum et vilitatem. Nonum, motum localem. Decimum, altitudinem et quantitatem. Undecimum, convenienciam. Duodecimum, discrepantiam.

His locis prospectis, dominorum omnino consilia captanda quorum qui salvi fuerint, liberum gerent ducatum; si vero portioni que ad animancia ducit ducatus concesserit, pertractandum primum in corporibus animancium signorum partitionem, cum inter stellas ipsas membrorum corporis sit discretio. Est enim Saturni auris dextra et splen. Jovis, sinistra et os / stomachi. 150vs
Martis, dextrum narium foramen et epar. Veneris, sinistrum et renes. Mercurii, lingua et fel. Solis, die oculus dexter, nocte sinister, cor et stomachus. Lune, die sinister, nocte dexter, et cerebrum et pulmo. Horum igitur huiusmodi sunt iudicia: ad rerum namque colorem dominus occuli ducit; ad vocem, dominus aurium; ad saporem, dux oris; odorem, narium

dux indicat; sensum, dux cordis; novitatem, ⟨dux⟩ epatis, malivolenciam, ⟨dux⟩ splenis, ornatus ⟨dux⟩ renum; esum ⟨dux⟩ stomachi; qualitatem forme, ⟨dux⟩ pulmonis; dolum, ⟨dux⟩ fellis.

Materiam rei et naturam ⟨ducit⟩ Lune dominus: ducit enim ad corpus idemque rei corruptionem. Creaturam aut capitis rei creaturam ⟨dux⟩ capitis. Orientis format ⟨dux⟩ pectoris dominus, $x^{i}$ Veneris venter, $7^{i}$ pedum et formam et numerum, $4^{i}$ pedum creaturam indicat.

Hic igitur utriusque stellarum generis testimonia adhibenda. In quo namque de hiis locis in circulo Luna corrupta fuerit, eius loci in corpore deformitatem notat. Tum locorum quoque domini adnotandi commiscendaque utrorumque testimonia. Si enim locus terreus est, dominus autem aquaticus, gramina indicat; quorum si alter terreus, alter igneus, metallum aut sulfur aut id genus. Quorum si alter terreus, alter aerius, animancia ex terra capta. Nam si ambo terrei, rem terream firmant, atque ad hunc modum de ceteris. Sciendum siquidem quociens Jupiter et Venus in animancium ducatum conveniunt firmum esse. Sique Jovis et Martis conveniens fuerit ducatus, in metallis et gemmis ducatus firmus. Sicque Saturni et Mercurii, in graminibus naturaque terrea. Deinde quociens stella dux retrograda invenitur, absconditum replicatum quidem esse designat. Hinc si Luna vel applicat Soli vel a Sole separatur, in abscondito nondum esse. Dux orientalis, rem novam, bonam, preciosam indicat. Occidentalis, econtra. Sol in oriente, paucitatem rei. In cardine celi, magnitudinem et altitudinem,

latitudinem et nitorem. De genere longorum dum in signo multorum orientium sit; in signo paucorum, econtra. Idem in domicilio aut principatu suo aut $x^o$ rem copiose quantitatis, magnique precii, ut si ad metallum ducat, aurum sit aut argentum, si ad gemmas, iacinctus aut smaragdus seu saphirus, si ad gramina, lignum ve maioris precii id ve genus.

Oriens igitur masculum, mascula indicat; femineum, feminea, dum orientis domini Luneque loca inter utrumque sexum consentiant. Nam orientis dominus et signum in quo fuerit, rem ipsam designat. Dux igitur liber, felix, fortis, rem sanam et preciosam designat. Corruptus et involutus, contra. Quoniam si Saturnus ‹corruptus›, rem corruptam aut exiccatam. Si vero Mars, rem aut ferro cesam, aut igne perustam. Quoniam si caput aut cauda involverit, rem involutam ex altero in alterum. In bipartito siquidem, duplex aut bipartitum.

Stella humida in signo terreo de germine terre indicat. Converso vero lutum atque id genus. In signo aerio, libera a malis vivum; corrupta, mortuum. Sique a Marte igne excoctum, ut corium cornu, hisque similia. In igneo, de re igne tacta. In aquatico, ex aquis educta. Eius loci dominus, si ducem in / aerio 150vd respexerit, de animantibus aquaticis iudicat. Nam in igneo, de margaritis, gemmis ve ‹marinis›. In aquatico, de gramine ex fundo aque, atque ad hunc modum stellarum natura et affectus permiscendi, dux super terram orientalis dum extra adustionem, rem notat frequentem manibus hominum; converso, contra.

Sciendum enim quia Solis sunt res apparentes et preciose. Lune, minores. Mercurii, leves et tenues. Veneris, tactu molles odore suaves, nisi corrupta sit, Sic enim testimonia pro ducatu converso, permiscenda. Saturni, gravia et fetida. Jovis, munda et humecta. Martis, calida.

Amplius questione de gramine intellecta: dux in Jovis et Veneris aut Mercurii domiciliis, gramen usus humani designat; de animantibus similiter. De ignitis in domicilio: Martis de excoctis igne; in termino Martis, malleis contusum. Dux in $x^o$ rei abscondite opertorium esse designat aut testa circundatam ad figuram stelle in $x^o$. Nam creatura eius et forma ad naturam $x^i$. Dux in $4^o$ rem intra aliam ad eundem modum discretam. Pondus rei locus stelle ducis librat: terrea siquidem graviora; post hec aquatica, minus aeria ignea levissima; firma quoque graviora; conversiva, leviora; bipartita, mediocria. Item superiorum stellarum domicilia, iuxta quod sese sequentur: graviora, inferiora vel leviora per ordinem.

ALBUKEIZ autem quoddam expertum se asserit: Martis in signis aquaticis terminos hoc in genere testilia et lateres designare. Hic itaque Luna Saturno respecta in eiusdem aliqua dignitate lateres testiliave confracta. Decimum autem signum, longum latumque metitur. Deinde oriens, mediocritatem. Occidens imminutum designat. Stelle siquidem in $x^o$ aut post $x^m$ rei longo presunt; in remotis aut in $4^o$, brevi. Sole Saturnum respiciente, Mars in signo terreo auripigmentum et minium designat.

Mars Saturnum respiciens, rem de suffossis aut mortuo similem. Cauda cum duce in signo firmo, fustem aut lignum confractum seu putridum. In terreo, naturam terream. In igneis, ut lateres et testilia confracta, nec aliter in gradibus orientis. Sol in signis aereis, lanam indicat aut pilum. In signis terreis, gramen, pannos diversi coloris. Veneris siquidem panni candidi. Martis rubei. Saturni viles et nigri.

Sciendum igitur ab orientis gradu usque ad terre cardinem, rubeus color. A cardine terre usque ad occidens, fuscus. Ab occidente ad celi cardinem, viridis; inde ad oriens, albus.

Incrementum autem rei et detrimentum, quadrantes circuli metiuntur ascendentes et descendentes. Est enim quadrans circuli ab orientis principio usque ad tercii finem; a fine rursus tercii usque ad sexti finem; a fine rursum $6^{i}$ usque ad noni finem. Sicque a fine $9^{i}$ usque ad oriens. Reliqui descendentes. Ut igitur questionis diversi sunt rami, ita diversa rerum accidencia ex diversis locis investigantur, ut ex toto circulo tota quelibet substancia conficiatur.

Retrogradus siquidem rem involvit, adustus corrumpit. Dum ergo coniuncta sint fortunata cum infortuniis conferendum utrum fortior sit. Si ergo fortunata fortior est, post desperationem fiet; si infortunium, post spem inficiet, fortunate vero sine impedimento coniuncte rem omnino perficiunt. Infortunata vero summe adapta, sperata omnino inficiunt. Metum autem Luna et orientis dominus deliberant: qui si infortunia secundo iam gradu

precesserint, nichil potest esse metu/endum. Si ligati, vel ap- 151rs plicent, periculosum est. Omnis etiam questio, si de accidentibus est, fueritque orientis dominus aut Luna stelle in cardine posite ibique recepte sine corruptione nec aduste nec retrograde ligata, sitque de motu in remotis, ad effectum pervenit. Stella ergo sive orientis sive questionis domini consilium sine prohibitione legens, si domicilium suum respexerit, ante oculos rei proventum firmat; quod si non respexerit, sitque inter orientis legentisque dominos sine prohibitione et corruptela, commixtio post desperationem fiet.

⟨De septimi partibus questionis⟩

Omnis autem astronomie questio generaliter bipartita est: aut enim in cogitatione est, aut in voce; utriusque generis eedem fere circumstancie exceptis quid et ubi; quorum quidem quid cogitatur in circumstancia est et ubi, et quid rei abscondite. Voce enim duobus modis exprimitur secundum raro necessarium est. Exceptis igitur quantum in loco suo exsecuti sumus de communibus tractatus instruitur.

Communes 7 sunt numero, quarum ut omnium natura est primum optinet locum an fiat. Secunda integreve an particulariter; ⟨3°⟩ sique particulariter quota parte; ⟨4°⟩ quoto loco qualiter fiat; ⟨5°⟩ ubi; ⟨6°⟩ unde; et deinde ⟨7°⟩ ultimus rei finis. Quod si negat, quicquid sit quod impediat alterius partis est.

Hunc igitur ordinem AOMAR TIBERIAS post HERMETEM, <DOROTHEUM>, PTHOLOMEUM, et MESSEHALLAM sequitur, cuius operi nonnichil ex aliis quoque necessarium adiungimus.

## De 15 stellarum habitudinibus

Huic itaque speculationi AOMAR BEN FARGAN 15 stellarum habitudines necessarias numerat: accessum, recessum, applicationem, separationem, translationem, collectionem, prohibitionem, receptionem, remuneracionem, solitudinem, donum virtutis, donum consilii, donum nature, fortitudinem, debilitatem.

Accessus est in cardine, seu post cardinem.

Recessus, in remotis.

Applicatio est levioris ad graviorem, bipartita radiis scilicet et corpore, quarum altera ligatio vocatur, altera coniunctio; firmior in eodem termino, firmissima in eodem gradu.

A quo cum recesserint, separatio vocatur.

Translatio est cum inter duas stellas tercia ab altera separata, alteri applicat.

Collectio est cum plures non ad invicem sed alii graviori applicant.

Prohibitio est cum parente aliqua seu applicare alii seu convenire, alia medio interveniente que cicius illam consequatur radios intercidens alterius lumen intercipiat.

Receptio est cum alteri altera applicat de principatu suo

aut domicilio aut ceteris dignitatibus similibus.

Remuneracio est dum altera applicat alteri de casu aut retrogradatione.

Solitudo est incessus stelle sine aliarum applicatione et separatione.

Donum virtutis est cum stella applicat alii de sua ipsius dignitate cum receptione, ut Luna de Cancro.

Donum nature est cum de illius cui applicat, ut Marti de Ariete.

Donum consilii, cum huiusmodi applicationibus rei effectum persuadent, ut cum orientis domino questionis dominus applicat, aut hic illi dum nec intersit prohibitio.

Fortitudinis stellarum x sunt species: prima ut orienti familiariter consistat. $2^{a}$, in dignitatibus suis. $3^{a}$, directas esse. $4^{a}$, ab infortunii conventu respectuque liberas esse. $5^{a}$, nec stelle remote vel averse nec in casu suo posite applicare nec ipsam in casu suo existere. $6^{a}$, receptam esse. $7^{a}$, orientalem. $8^{a}$, sit haiz, id est die diurnas, nocte nocturnas, masculasque in masculis circuli partibus, feminas in femineis. Nona, in signo connaturali. Decima, zamim cum Sole forti.

Debilitates quoque x: prima remotam esse, et aversam. $2^{a}$, retrogradam. $3^{a}$, adustam./ $4^{a}$, infortuniis convenire aut 151rd
invicem ligari nec recipientibus. $5^{a}$, ⟨maa al-ǵadbīn an-nuḥsān⟩. $6^{a}$, esse in casu suo. $7^{a}$, a recipiente separatam remote et averse applicare. $8^{a}$, extraneam. $9^{a}$, iuxta caput aut caudam.

10[a], lumine apud sese impeditam esse, ut cum fuerit in suis exitis. Nam cetera lune impedimenta, vel ex xv illis que in cogitationum libro primo exposuimus, vel ex illis x que in translatione ZAHEL BEN BIXIR, vel ex eisxi que in ALBUMAXAR commentatione enumeravimus, quot necessaria fuerint studiosa speculatio mutuari potest.

Totius igitur negocii primo loco ducem illum cui nomen almubtez investigari convenit, qui ut TIBERIADI visum est 5 ex locis eligitur. Aut enim erit orientis dominus, aut alterutrum luminum, aut pars fortune, eiusve dominus; inter quos omnes qui fortior extiterit cuique plura testimonia faverint, eum optinere planum est. Nam si omnibus forte equa sint testimonia, omnesque ad rem attinentes cui validior ut supra dictum est fortitudo fuerit eum amplectemur. Hoc itaque duce principali, quem almubtez nominant ad hunc modum invento, deinde inter duces duos super orientis et questionis domicilio, querentis scilicet et quesiti huiusmodi speculatio est adhibenda. Si enim aut applicatio inter ipsos aut translatio aut collectio sine corruptione et prohibitione fuerit, rei proventum firmant. Que si minus fuerint, fueritque Luna alterutri ducum quomodo dictum est permixta, vicem supplet atque si nec id cum conveniencia accessus et receptione fuerit, sitque de motu idve genus, questionem negant. Accedant ad huiusmodi negocii testimonia, almubtez invento questionis domicilium eiusque dominus, dominique loca; ubi vero stelle consortes

questionis domicilio, ut Jupiter, questuum; Saturnus, parentum; Mars, itinerum. Nam si, ut dictum est, nec applicatio nec translatio nec collectio nec receptio inter duces fuerit, contingatque aut querentis ducem in domicilio questionis aut converso reperiri sive stellam consortem, ut pro questu secundi dominum aut Jovem in ipso aut in $x^o$; decimi dominum, aut Solem pro regno, atque ad hunc modum. Conversoque ut aut secundi dominum in oriente aut Jovem pro questu; pro regno, $x^i$ dominum aut Solem, firmant, nisi forte aut casus eius sit is locus aut ipse questionis dominus inibi sit adustus. Quod si ita fuerit rem confectam inficit. Adhibenda quoque pars fortune, quod Lune oriens est, secundumque signum a parte questus eiusque domicilium; tercium fratrum atque ad hunc modum per ordinem circuli. Hic igitur dux stelle questionis loci participi in ipso posite applicans, rem conficit. Sique questionis dominus stelle in oriente posite participi applicans nisi sit infortunium, nec recipiens aut fortunata, vel huiusmodi infortunio incorporata aut retrograda aut adusta aut corpore secta.

In omni autem hoc negocio Lunam participem adhiberi convenit pro indeque domicilia per omnem circulum distingui. Si enim unum domicilium in duo dividi contingat ex duobus ducatum requiremus, ut cum $10^m$ in $9^m$ incidat ex $9^o$ et $10^o$, non autem ita cum in undecimum.

Hoc ordine habita ratione an fiat, consequens est integreve fiat, an particulariter. Huic autem operi tres hii

duces attinent, Luna scilicet orientis questionisque domini. Itaque Luna multum particeps orientis, sicque domicilii orientis questionis dominorumque particeps, in cardine corrupta rem integre negat. Luna, siquidem dum equaliter sit cum orientis reique domino, testatur. Amboque salvi rem integre conficiunt, quorum si alter corruptus in cardine, medietatem fere inficit. In ceteris, minus. Interea Luna orientis particeps aut oriens femineum preter Virginem et Capricornum dum nocturna sit questio Luna que in in cardine aut questionis multum/particeps 151vs corrupta adustione sive stella infelici et retrograda, partem inficit. Nam dum expers est orientis nec in domicilio questionis nec in cardine, dum nec nocturnum sit negotium corruptio Lune non nocet. Orientis quoque dominus corruptus, rem pro quantitate corruptionis inficit. Dux enim almubtez in cardine corruptus, totum inficit; post cardinem, dimidium. In remotis, trientem. Infortunia quoque in cardinibus, magisque Mars in die, nocte Saturnus, et rem minuunt et querenti minantur. Nam orientis dominus sive Luna in cardine corruptus, bissem inficit; in succedente, dimidium; in remoto, trientem. Ad hunc itaque modum pro natura stellarum et consiliis, locis etiam quibus insunt, domiciliis quoque in suis principaliter que respiciunt rerum proventus iudicandi.

### Exemplum de iam dictis

Exemplo rerum: Erat oriens Aquarius, 10[a] Scorpius,

cuius cardinem Jupiter cum Marte pariter obtinebat. Secundum, quod questus domicilium est, eratPisces, quod Jupiter respiciebat. Nona autem Sagittarius. Indicatum est ergo querenti quesita adepturum idque per manus magnatum, iudicum scilicet et ducum atque id genus.

Sequitur deinde ut iuxta applicationum, consilii receptionumque genus qualitatem proventuum indagemus. Dum enim amicis figuris invicem applicant, faciles eventus promittunt, sicque recepte; inimicis contra. Sicque non recepte; sicque persone dux dum questionis domino applicat, eius studio; converso, alterius partis. Translatio vero per internuncios. Collectio, per manum componentis alicuius. Unde quoque fit quod causam rei didiscimus, motum et principium ex eisdem ducibus perpendimus. Dictum enim est quod aut applicatione fiat aut translatione aut collectione aut locorum stellarum aptitudine. Ex 4 igitur hiis generibus causam rei producimus. Si enim applicatione fit, applicantem consulemus: que si ab alia separatur aut alia sibi applicat, illius natura et accidencia rei causam exponunt, sive a qua dominus ipsius. Atque ad hunc modum de transferente et colligente: nam si stellarum in locis aptitudine est, proventum firmat. Causam item ex eis a quibus separantur, aut a domiciliis suis que respiciunt, aut ab eorum dominis educimus.

Quoniam a primordio tractatus ceteras per ordinem ut propositum erat astronomie questionis circunstancias breviter ut exigebat absolvimus, suis enim in tractatibus plenarie quelibet enodantur, consequens est ut quoad quidlibet sperandum sit aut metuendum certamque horam quando quidlibet proventurum sit deinceps indagemus. Quod genus ZAHEL BEN BIXIR suo seorsum integro volumine tractat; proprios siquidem quosdam multa rerum diversitas ducatus sequitur. Nos igitur quod utriusque commodum visum fuerit in nostro labore conferimus. Ait enim Zahel quoniam alteratio figurarum stellarum circulique status mutatio proventuum inferioris mundi varietas est, alteratio vero figurarum bipartita est, longo scilicet et lato. Longo quidem nunc orientalis est stella, nunc occidentalis; lato nunc australis, nunc septemtrionalis. Nam et Luna nunc usque ad oppositionem orientalis est; inde usque ad conventum occidentalis est. Circuli quoque mutatio iuxta alios quadripartita, iuxta MESSEHALLAM vero, quantum huic attinet negotio bipartita, ascendens, et descendens: ascendens a gradu quarti usque ad gradum $x^{i}$ sicque descendens ab hoc usque ad gradum quarti. Est et alia stellarum figurarum in cursu alteratio, a conventu Solis ad primam stationem; a prima / statione ad opposi- 151vd tionem Solis; ab oppositione ad stationem secundam; ab hac usque ad consecutionem Solis. Addit AOMAR: a summo absidis usque ad medium; a medio ad oppositum; indeque item ad medium; inde ad absidem. Est etiam alteratio, proventus ad loca circuli et

stellarum corpore seu radiis sicque tezir--id est ductus stellarum graduum, signorum, partiumque per circulum ad ea loca per singulos gradus equales sive orientium singulis annis aut mensibus sive diebus quidem et horis. Quod ut planum fiat discernendum est ut et quod ZAHEL inter signa firma, bipartita, et tropica, sicque inter signa levium stellarum et gravium, sicque circuli pars ascendens et descendens.. Cum enim dux tropicum signum occupat attazir gradus, dies sunt; in bipartitis, menses; in firmis, anni. In leviorum autem stellarum signis, dies aut menses, in graviorum, menses aut anni. Sicque ferunt pars ascendens et pars descendens.

AOMAR autem id quadripartito sumit. Primo ut sit stella in ascendente circuli parte. Secundo, orientalis. Tercio, velociter incedens. Quarto, recepta velociter incedenti libere. Quod si omnia simul fuerint attazir gradus, hore sunt. Si vero unum defuerit, dies. Si duo, menses. Si tria, anni.

Omnem igitur hunc ducatum quem attazir nominant ZAHEL 7 modis discriminat: primo ut quot gradus inter applicantem et recipientem fuerint tot numerentur vel hore vel dies, seu menses aut anni ut dictum est.

Secundo, quod applicans ad recipientis gradum et punctum corpore perveniat aut converso, seu ipsum corpore consequatur.

Tercio quot gradus inter ipsorum corpora sunt aut equales aut per oriencia climatum tot per singula singuli conputentur dies.

Quarto quot inter ipsos signa sint aut alegente consilium usque ad oriens sive converso tot per singula singuli conputentur menses.

Quinto quot gradus a principio orientis usque ad gradum orientem pro singulis singuli conputentur dies.

Sexto quotus orientium fuerit applicans tot conputentur dies vel menses vel anni.

Septimo ut invento <alaoukat> spacii duce quot fuerint eius anni minores tot conputentur hore, dies, menses, vel anni. Qui quotiens in bipartito reperitur, duplicandum esse spacium utrique consentit alhileg, et eclypsim aut infortunium corrumpens. Summa, transacta nutritura, per xii multiplicata, annos nati numerat. Quod expertum se refert TIBERIAS in numero BENLAFAR. Erat enim, inquid, alhileg Luna paciens ad caudam. Erantque inter Lunam et caudam 3 gradus qui duodecies sumpti 36 confecerunt annos videlicet eius nati.

Hunc itaque ducem primo investigari convenit. Ut ait BEN BIXIR fi kateb aloukat non quelibet stella huic officio apta est licet fortis. Cui siquidem in questione testimonium non fuerit, nichil attinet. Primum itaque Luna consulenda est; post, orientis dominus, deinde qui inter orientis et questionis dominos alterius legerit consilium aut stella cui alteruter applicat. Inter quos omnes qui fortior plus ad questionem attinuerit huius negocii ducatum obtinebit. Nam si equalia omnibus utriusque testimonia fuerint, nec

facile almubtez eligi possit, luminum id quod oriens familiarius respexerit amplectemur.

Ad hunc modum invento duce, cum eo discernendum est attazir. Si enim conferens simul consiliumque legens ambo ascendentes orientales velocesque fuerint, applicationis gradus hore sunt aut dies, tardi vero et occidentales atque descendentes, menses vel anni; permixti vero cum fuerint: sunt enim ab oriente ad $x^m$ hore; a $x^o$ad $7^m$, menses; / a $7^o$ ad quartum, anni; a quarto 152rs
ad oriens, dies. His conferenda et locorum testimonia pro tripartita signorum divisione domiciliisque utriusque stellarum ordinis atque id de productionibus proventuum expectationibus. Nam sunt preter hec determinata quedam alia spacia. Luna siquidem in loco questionis domino locum questionis respicienti ligata, ipso die rem conficit. AOMAR addit quod Luna in questionis loco aut loco forti questionis consorti, ut pro questu in domicilio Jovis, rem conficit; sique aut orientis aut questionis domino ligatur, dum aut questionis locum respiciat aut respicienti applicet, ipso die consumenda.

ZAHEL autem observandum dat quotiens spacium infra per mensem metimur, haut statim firmandum donec Lune circulus conficiatur interim. Eademque de causa etiam AOMAR tradidit, quotiens Luna, questionis particeps, fuerit maius spacium mense terminari, siquidem dum omnia circuli stellarumque loca peragrat, quoniam omnis fere ducatus particeps est, fortassis ad

locum perveniat, ut rei proventum consequi necesse sit: ut cum orientis aut questionis domicilium dominive alterutrius gradum attingat vel ipsa vel orientis dominus sive questionis aut etiam Sol: Solis enim in circuli quadrantes introitus tempora mundique accidentia legitimis quibusdam mutat successibus, ut merito quemadmodum Luna corporis leges ditat sic Sol anime conditionem universam vegetet. Omne igitur hoc genus enumerandum: metitur enim spacia proventuum omnis almubtez figure alteratio. Ut cum sit orientalis, questio occidentalis fiat, aut converso; sitque directus quoad retrogradus fiat et contra; sitque remotus quoad cardinem perveniat et contra; est liber quousque aduratur et cetera, est extraneus quousque ad dignitatem suam perveniat. Terminant etiam proventus horam fortunate in loco questionis convenientes; aut recipiens consilium eo perveniens, Sol quoque questionis particeps ad oriens perveniens, sicque Luna et orientis dominus si fortunate applicant aut stelle questionis consorti; quoniam id effectus signum est. Applicationum gradus proventum metiuntur, gradus inquam equales, aut orientium per climata minus prius, deinde maius. Hii ergo sunt termini qui non alterantur. Nam supra digesti modi inter horas, dies, menses et annos discernuntur.

Quoniam tanta rerum huius negocii diversitas est ut nec pauca numero, si sparsim dentur, firme amplecti possint, omniaque prosequi vix finitum, quid ex hoc ducatu singulis per circulum

domiciliis discriptim attineat deinceps investigemus. Hora questionis vite de spatio quam oriens vendicat, tria loca notanda sunt: oriens scilicet eiusque dominus, pars fortune eiusque dominus, conventus etiam aut oppositio proxima. Inter quos qui fortior extiterit cuique testimonia plura fuerint, is almubtez officium obtinebit. Hunc itaque locum ut alhileg ad conventum infortuniorum per gradus orientium climatis producemus, quocumque attazir --id est huiusmodi ductus--pervenerit, nisi fortunatarum inter-veniant radii, is annus mortalis est. Sique infortuniorum radii ex opposito aut tetragono terminum alkizme feriant, nec is interventus proderit. Unde MESSEHALLA observandus est, inquid, orientis dominus partimque luna dum ante orientis dominum fuerit. Qui si ambo aut alter infortuniis applicant aut adustionem accedunt, graduum numerus inter ipsos et infortunia sive adustionem colli-getur. Quod si orientis dominus in signo firmo fuerit, anni sunt, in bipartito menses, in tropico dies. Qui ergo ex orientis domino gradus applicationis educti fuerint, vitam metiuntur. / 152rd

Secundi questionis: ut quanto tempore consequamur quod quesierimus de questu atque id genus, numerus item graduum inter duces, dies, menses, vel annos intervalli numerant quo ad secundi dominus aut oriens aut domicilium suum intret, aut

orientis dominus secundum, aut alter alterum corpore consequatur, ut nichil pigeat tribus id terminis interclusum prescribi.

Nam tercii et quarti questionibus eadem huius generis portio respondet.

Quinti vero negociis ut cum queritur ad quem usque terminum pregnans quelibet paritura sit. Primo dominum $7^{i}$ notabimus, quo deprehenso, quot inter ipsum quintique gradum signa tot menses, quot gradus tot dies, numerabimus; ad quorum terminum partus absolvatur.

Sexti questionibus nullo modo Lune consilium pretermittendum. Que si corrupta fuerit producetur ad gradum infortunii corrumpentis aut gradum octavi. Si ergo antequam ad gradum $8^{i}$ perveniat infortunio iungatur perveniente ad eum gradum timendum est. Id igitur infortunium si Saturni fuerit, applicationum gradus menses sunt aut anni; si Mars, menses sunt aut dies ad naturam valitudinis natureque morbi atque hoc ubi iudicium de morte datum fuerint. Nam in libro iudiciorum de salute, circa dies creticos discussum est.

